




3 3433 08159432 1



Creuzer

FRIDERICI CREUZERI

OPUSCULA SELECTA.

FRIDERICI CREUZERI

OPUSCULA SELECTA.

LIPSIAE
IN BIBLIOPOLIO HAHNIANO
MDCCCLIV.

ILLUSTRI

ACADEMIAE CAESAREAE

LITERARUM VINDOBONENSI

D. D. D.

FRIDERICUS CREUZER,

PROFESSOR HEIDELBERGENSIS.

PRÆFATIO.

Quod, si amicos meos audiebam, dudum fieri oportuit, ut Philologorum more Opuscula mea quoque collecta ederentur, id nunc tandem ipse facio senex, ita quidem, ut seligerem potius quam corraderem. Quidquid enim inde ab initio hujus saeculi annis quinquaginta amplius ex hoc minore genere maximam partem jussus publice conscripseram latino sermone, ejus, si universum excutiebam, nec ea erat aut argumenti gravitas aut rationis orationisque praestantia, ut id omne denuo cum pulvisculo exhauriretur; ita equidem faciundum putavi, ut repetitae editionis consilium quam maxime circumscriberem. Atque quum hujus voluminis triplex materia esset: *commentationum* ad antiquitatis studia pertinentium; *vitarum* sive elogiorum, *orationum*, *epistolarum*, *inscriptionum*, titulorum: ex primo genere quae nondum typis descripta essent latina, omnia penitus oppressi; ex altero Memoriarum, quas Academiae Marburgensis jussu conscripseram, perpaucas recepi virorum, qui suis in Literas meritis hodieque clarissimi censentur; ex tertio genere Ora-

tionem unam tantummodo admittendam duxi, sed integram, et adjunctis annotationibus omnibus, quas uberiores aliquanto secundae editioni adjeceram; ex Praefationibus itidem unam, etsi plures eram pollicitus (vid. Vitam meam, cujus titulum continuo indicabo, p. 347 sqq.); in Epistolis hanc mihi legem scribendam existimavi, ut nullam publicarem datam ab homine, qui adhuc in vivis esset, deinde ut nullam hac in Collectione typis repeti paterer, quae vel latine scripta in adumbratâ Vitâ meâ*) jam exstaret; denique ut ex aliis epistolis vel a me vel ad me datis nonnisi Excerpta exhiberem.

Atque in his cancellis me continendum duxi etiam propterea, ne libri moles pretiumque augeretur, nec damnum fieret bibliopolis viris honestissimis Hahniis, qui in hac impeditâ re literariâ istam conditionem accipere voluerunt, commoti potissimum amicitiâ, quae nos inde a quadraginta annis mutuo commercio jungit.

Heidelbergâ,
m. Martio a. MDCCCLIV.

---

*) Aus dem Leben eines alten Professors. Von Dr. Friedrich Creuzer in Heidelberg. Leipzig und Darmstadt 1848. v. c. p. 45 sqq. p. 85 sqq.; quem libellum omnino cum hoc ipso componi velim, nec minus cum altero, qui nuper admodum prodiit: Zur Geschichte der neueren classischen Philologie von Fr. Creuzer. Frankfurt a. M. 1854.

PARS PRIMA

CONTINENS

COMMENTATIONES.

I.

EXEMPLVM MYTHORVM AB ARTIVM OPERIBVS PROFECTORVM.

ELECTORATVS HASSIACI AVSPICIA
LAETE PIEQVE CELEBRANDA
PANEGYRICVMQVE IN LAVDEM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
WILHELMI I.
SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIS
HASSIAE LANDGRAVII, PRINCIPIS HERSFELDIAE, HANOVIAE, FRIDESLARIAE, COMITIS CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIEGENHAINAE, NIDDAE, SCHAVMBVRGI, RELIQVA.
DIE XXII. MAII HORA XI. MDCCCIII.
IN AVDITORIO MAIORI DICENDVM
INDICIT
ACADEMIA MARBVRGENSIS.

MYTHORVM AB ARTIVM OPERIBVS PROFECTORVM EXEMPLVM PROPONITVR. SECTIO PRIOR.

Historia, quae apud Graecos quidem tota fere ex poësi effloruit, ubi primum certiorem rebus scribendis fidem quaerebat, quam poëtarum praestabat auctoritas, continuo summis difficultatibus impedita tenebatur. Superioris enim aevi, mythici, homines solis poëtarum fortia patrum facta depraedicantium carminibus auscultasse notum est, hujus diligentiae, quam ad firmiorem rerum fidem doctior aetas unice requirit, impense securos.

Neque vero succurrebat in rudiore illa vitae conditione per longum temporis spatium aut materia aut ratio, quae

servandae rerum memoriae fida satis tutaque videretur. Quare mirum non est, qui primi inter Graecos rebus pedestri sermone condendis operam dabant, συγγραφεῖς, eos fere deficiente graviore auctoritate fabulas captasse vereque fuisse μυϑογράφȣς*).

Praeclare ad haec actum fuerat cum priscis illis Babyloniis, Aegyptiis, Judaeis, Phoenicibus, quorum sacerdotes nuda certe rerum gestarum eventa in librorum monumentis perscribebant. Apud Romanos quoque, ut in Cicerone**) est: „memoriae publicae retinendae caussa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi.“ Fugiebat eam gravitatem prisca illa***) Graecia, quae cum in festorum hilaritatem effusa ab ἀοιδῶν suorum ore pendebat, nihil minus, quam certam rerum fidem expetebat.

Itaque nihil fere erat, quo subnascenti deinde historiae prospectum videri posset, praeter monumenta quaedam vetusta in templis maxime posita et donaria (ἀναϑήματα†), Diis dicata, praecipue quorum celebrata oracula erant, ut Apollinis Delphici. Factum est quoque in duabus Graeciae civitatibus Sicyone et Argis, ut sacerdotum recensus (ἀναγραφαὶ ἱερέων††) conderentur.

Quicunque igitur inde a sexagesima Olympiade vel paullo maturius per Graeciam id agebant, ut omnem priscam memoriam a poëtarum ludibriis vindicatam ad historiae severitatem traducerent, quo minus certiori fidei a majoribus cautum fuerat, eo studiosius haec eadem circumspicere coeperunt.

---

*) Strabo Lib. I. Pag. 53. ed. Siebenk.

**) de Oratore II—12.

***) et vero deinceps quoque vulgo per omne liberae rei publicae tempus, cf. *Wolfii* Prolegom. ad Homer. Pag. XLVIII. LXXV.

†) Qua de re nunc legitur docta *Eckhelii* disputatio in Doctrina Numorum veterum Part. I. Vol. IV. Pag. 371 sq.

††) *Simson* Chronicon Pag. 115 ibiq. Wesseling — *Heyne* Comment. Societat. Scientiar. Gottingens. Vol. XIV. Pag. 120.

Iam vero in illa scribendi difficultate, qua ut quaeque aetas vetustior erat, ita maxime laborabat, vel omnino literis carebant illa monumenta, vel rarioribus illis ornata reperiebantur, ut qui ejusmodi operis caussam, tempus auctoremve requireret, ei ad incolarum ejus oppidi vel fani sacerdotum sermones confugiendum esset*).

Quae ipsa fucandae fidei obscurandaeque veteris omnis memoriae non potuit quin uberrima materia existeret, subnataque mythorum diversa genera.

Quorum unus nunc seligendus mihi visus est, *quem ab antiquo aliquo donario profectum* cum ipse arbitrer, gaudebo equidem si disputatione mea idem lectoribus quoque probavero.

Est haec vero illa de *Arione poëtâ* delphini dorso ex undis servato memorabilis narratio, quo Herodotus primus popularium aures delinivit, quemque deinde multi**) in scripta sua retulerunt.

Iam ut in primo illius mythi auctore subsistamus: totius Herodotei operis cum universa indoles et constitutio, tum vero praecipue ipsius aditus ea omnis historiae inter Graecos primordia arguit, qualia nos supra delineavimus. Quo referenda est et religiosior illa ἀναθημάτων a barbarorum regibus missorum descriptio***), et fusius Cleobis et Bitonis celebrata pietas†) et vero hic ipse, quo in loco nunc

---

*) *Dionys. Halicarn.* Tom. VI. Pag. 819. ed. Reisk.

**) Quorum recensum vid. apud Harduinum ad Plinii Hist. N. IX—8. Pag. 502.

***) I—Cap. 14.

†) I—31 Quo in loco, ut hoc data hac occasione delibem, non recedendum erat a Medic. et Paris. Cod. lectione *ῥώμην*. Nam primum haec tota vectionis narratio ibi attexitur ubi juvenum *roboris* mentio facta erat, et ita attexitur, ut hac *quoque* re ipsorum robur patefieri scriptor velit (*καὶ πρὸς τούτῳ, ῥώμη σώματος τοιήδε ἀεθλοφόροι τε ὁμοίως ἔσαν καὶ δὴ καὶ λέγεται ὅδε ὁ λόγος*); tum ita quoque intelligitur, cur addatur illud *ςαδίυς δὲ — διακομίσαντες* ex quo scilicet colligatur quantopere corporis viribus polluerint. Deinde ut omnino priscis hominibus ita viris maxime convenit illa roboris laudatio. Denique feminae matrem in universum laudant: *οἵων τέκνων ἐκύρησε*; in qua universa laudatione cum jam insit *pietatis* (*τῆς*

cum maxime versamur, qui, quod in ipso limine occurrit, scriptoris ingenium prodit, *episodiorum* lenocinia mirifice captantis, neque abhorrentis a *μυθογράφων* consuetudine, suas oppidorum descriptiones istis additamentorum illecebris variantium*).

Est in rebus Lydiis, e quibus totius operis initium ducitur, belli quoque Alyatten inter et Milesios gesti memoria. Quo in bello cum Lydorum regi morbi caussa, quo ille implicitus tenebatur, oraculum Delphicum consulenti, Periander Cypseli filius Corinthiorum tyrannus Dei consilium medelaeque viam aperuisset, in hujus vitam digrediens scriptor, Arionis poëtae historiam persequitur Lib. I. Cap. XXIII seq.

*Περίανδρος***) *δὲ ἦν Κυψέλυ παῖς, ὅτος ὁ τῷ Θρασυ-*

γνώμης) laudatio, apparet si *γνώμην* admiseris tunc unam eandemque tribui a virorum aeque ac feminarum coetu juvenibus laudem. Cui rationi adversatur illud: *Ἀργεῖοι μὲν γάρ — Αἱ δὲ Ἀργεῖαι*, quo ipso significatur aliud fuisse virorum praeconio praeconium feminarum.

*) Dionys. Halic. Iud. de Thuc. Tom. VI. Pag. 823 — *ἐκείνοις μὲν ὖν τοῖς ἀνδράσιν ἀναγκαῖον ἦν ποικίλλειν τοῖς μυθώδεσιν ἐπεισοδίοις τὰς τοπικὰς ἀναγραφάς.* In hoc vero episodio illud maxime inest, quod apud *Ciceronem* Epist. ad Divers. V—12. legitur: *cum miseratione delectare et notabili exitu concludi.* Quem ipsum Herodoti locum *Marcellinus* Vita Thucydid. Pag. 8. ed. Ducker tanquam exemplum profert ex quo cognoscatur, quantopere hic scriptor narrationis voluptatem appetierit: *πολλὰ γὰρ τῶν πρὸς ἡδονὴν ἀπέφυγε (Θυκυδ.) τὰς παρενθήκας — ἀποκλίνας — Ἀρίων ὁ κυβερνώμενος μυσικῇ.*

**) Sequor in his emendatissimam nitidissimamque *Schaeferi* editionem, qua hic vir doctus denuo promeruit de Musis Herodoteis. Ad interpretationem loci pauca tantum subjiciam, quae vel insigniora vel conjunctiora cum nostro consilio videri queant.

Laudat hanc ipsam fabulam *Hermogenes* eo consilio ut doceat quid inter *διήγησιν* et *διήγημα* intersit in Progymnasmatibus, quae e bibliothecâ Taurinensi regiâ eruta cum doctis primus communicavit *Heeren* in Bibliothek der alten Literatur und Kunst partic. VIII, ubi Pag. 8: *Ποίημα μὲν γὰρ καὶ διήγημα, περὶ πρᾶγμα ἕν, ποίησις δὲ καὶ διήγησις περὶ πλείονα. Οἷον ποίησις ἡ Ἰλιὰς καὶ ποίησις ἡ Ὀδυσσεία. ποιήματα δέ, ἀσπιδοποιΐα — —. Καὶ πάλιν διήγησις μὲν ἡ ἱςορία Ἡροδότυ, ἡ συγγραφὴ Θυκυδίδυ. Διήγημα δέ, τὸ κατὰ Ἀρίονα, τὸ κατὰ Ἀλκμαίωνα* (I—Cap. 61.) *κ. τ. λ.*

βούλῳ τὸ χρηςήριον μηνύσας. ἐτυράννευε*) δὲ ὁ Περίανδρος Κορίνθε. Τῷ δὴ λέγεσι Κορίνθιοι (ὁμολογέεσι δέ σφι Λέσβιοι) ἐν τῷ βίῳ θῶϋμα μέγιςον παραςῆναι, Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον ἐπὶ δελφῖνος ἐξενειχθέντα ἐπὶ Ταίναρον, ἐόντα κιθαρῳδὸν τῶν τότε ἐόντων οὐδενὸς δεύτερον, καὶ διθύραμβον, πρῶτον ἀνθρώπων τῶν ἡμέες ἴδμεν, ποιήσαντά τε καὶ οὐνομάσαντα καὶ διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ**).

Cap. XXIV. Τῦτον τὸν Ἀρίονα λέγεσι, τὸν πολλὸν τῦ χρόνε διατρίβοντα παρὰ Περιάνδρῳ, ἐπιθυμῆσαι πλῶσαι ἐς Ἰταλίην τε καὶ Σικελίην. ἐργασάμενον δὲ χρήματα***) μεγάλα, ἐθελῆσαι ὀπίσω ἐς Κόρινθον ἀπικέσθαι. Ὁρμᾶσθαι μέν νυν ἐκ Τάραντος, πιςεύοντα δὲ ὐδαμοῖσι μᾶλλον ἢ Κορινθίοισι, μισθώσασθαι πλοῖον ἀνδρέων Κορινθίων. Τοὺς †) δὲ ἐν τῷ πελάγεϊ ἐπιβυλεύειν, τὸν Ἀρίονα ἐκβαλόντας, ἔχειν τὰ χρήματα. Τὸν δέ, ξυνέντα τῦτο, λίσσεσθαι, χρήματα μὲν προϊέντα σφι, ψυχὴν δὲ παραιτεόμενον, οὔκων δὴ πείθειν αὐτὸν τυτέοισι ἀλλὰ κελεύειν τοὺς πορθμέας ἢ αὐτὸν διαχρέεσθαί μιν, ὡς ἂν ταφῆς ἐν γῇ τύχῃ, ἢ ἐκπηδέειν ἐς τὴν θάλασσαν τὴν ταχίςην, ἀπειληθέντα δὲ τὸν Ἀρίονα ἐς ἀπορίην, παραιτήσασθαι, ἐπειδή σφι οὕτω δοκέοι, περιιδέειν αὐτὸν ἐν τῇ

*) De Graecorum tyrannis literarum amantibus vid. Valckenaer ad Herod. III—125. ubi de Polycrate — Strabo XIV. Pag. 845. — de Hierone vid. Pindari Olymp. I—22 seq.

**) *Διθύραμβον — Κορίνθῳ*. Vid. Scholiast. Pindari Olymp. XIII —25. ibique *Beckii* Not. Pag. 491. — Alii inventi dithyrambi gloriam Philoxeno Chio adsignabant. In quam rem consulendus est *Eichstädt* de Dramate Graecor. Comico — Satyrico Pag. 32 seq.

***) *ἐργασάμενον — χρήματα.* „Cum magnam pecuniam *acquisivisset.*" Quam verbi vim explicat *Graevius* Lection. Hesiod. Pag. 514. ed. Lösner. Admonet hic locus Pindarici illius Isthm. II—9 seq.

Ἁ Μοῖσα γὰρ ὀ φιλοκερδής
πω τότ' ἦν ὀὐδ' ἐργάτις

de poëtarum avaritia et sordibus, qui totus conferendus, adde *Aristotelis* Rhetoric. III—2. Pag. 318. ed. Buhle.

†) *τὸς δὲ ἐν τῷ πελάγει κ. τ. λ. Larcher*, cujus docta Herodoti interpretatio typis repetita nuper prodiit (Paris. 1802.) haec ipsa vel in Tarentinorum portu vel certe circa eam oram accidisse contendit (Tome I. Pag. 212). Cui sententiae fortasse firmamentum quaeri

σκευῇ πάσῃ ςάντα ἐν τοῖσι ἑδωλίοισι*) ἀεῖσαι, ἀείσας δὲ ὑπεδέκετο ἑωϋτὸν κατεργάσασθαι. Καὶ τοῖσι ἐσελθεῖν γὰρ ἡδονήν, εἰ μέλλοιεν ἀκέσεσθαι τȣ ἀρίςȣ ἀνθρώπων ἀοιδȣ, ἀναχωρῆσαι ἐκ τῆς πρύμνης ἐς μέσην νέα. Τὸν δέ, ἐνδύντα τε πᾶσαν τὴν σκευήν, καὶ λαβόντα τὴν κιθάρην, ςάντα ἐν τοῖσι ἑδωλίοισι, διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον**). Τελευτῶντος δὲ τȣ νόμȣ, ῥίψαι μιν ἐς τὴν θάλασσαν ἑωϋτόν, ὡς εἶχε, ξὺν τῇ σκευῇ πάσῃ. Καὶ τȣς μὲν ἀποπλώειν ἐς Κόρινθον. Τὸν δὲ δελφῖνα λέγȣσι***) ὑπολαβόντα ἐξενεῖκαι ἐπὶ Ταίναρον, ἀποβάντα δὲ αὐτὸν χωρέειν ἐς Κόρινθον ξὺν τῇ σκευῇ, καὶ ἀπικόμενον ἀπηγέεσθαι πᾶν τὸ γεγονός. Περίανδρον δὲ ὑπὸ ἀπιςίης Ἀρίονα μὲν ἐν φυλακῇ ἔχειν, ȣδαμῇ μετιέντα, ἀνακῶς δὲ ἔχειν τῶν πορθμέων. ὡς δὲ ἄρα παρεῖναι αὐτȣς κληθέντας, ἱςορέεσθαι εἴ τι λέγοιεν περὶ Ἀρίονος. Φαμένων δὲ κείνων ὡς εἴη τε σῶς περὶ Ἰταλίην, καί μιν εὖ πρήσσοντα λίποιεν ἐν Τάραντι, ἐπιφανῆναί σφι τὸν Ἀρίονα, ὥσπερ ἔχων ἐξεπήδησε. Καὶ τȣς, ἐκπλαγέντας, ȣκ ἔχειν ἔτι ἐλεγχομένȣς ἀρνέεσθαι. Ταῦτα μέν νυν Κορίνθιοί τε καὶ Λέσβιοι λέγȣσι. Καὶ Ἀρί-

---

potest ex numis Brundisii in quibus Arion teste *Eckhel* Doctr. num. vet. Part. I. Vol. I. Pag. 143.

*) ἑδωλίοισι Hanc lectionem cum Wesselingio secuti sunt *Wyttenbach* in Ἐκλογ. ἱςορ. Pag. 6. *Reiz* et *Schaefer* in suis Herodoti editionibus. — De re consulendus est *Boettiger* in archäologischen Museum I. Pag. 52 seq. ubi accuratissime disputatur de navium apud Veteres partibus generibusque.

**) νόμον τὸν ὄρθιον paucis explicat *Larcher* ad h. l. Pag. 213. adde *Ruhnken* ad Homer. Hymn. in Cerer. Pag. 8. — *Barnes*. ad Euripid. Heraclid. 4. 830. — Aeschyl. Pers. v. 386. ibiq. *Schütz* Vol. II. Pag. 60.

***) τὸν δὲ δελφῖνα λέγȣσι Haec cautum scriptorem arguere nemo non videt et monet *Larcher*, Voltarii, ipsi Herodoto haec tribuentis incuriam notans, laudato quoque *Augustini* loco de civitat. Dei Lib. I. Cap. 14. ubi haec ipsa de Arione fabula paganis opponitur Judaeorum Christianorumque miracula irridentibus: „Haec (narrationem de Jonâ vate) quoque illi, cum quibus agimus, malunt irridere, quam credere: qui tamen in suis literis credunt Arionem Methymnaeum nobilissimum citharistam, cum esset dejectus e navi, exceptum delphini dorso, et ad terras esse pervectum.“

ονός ἐςι ἀνάθημα χάλκεον οὐ μέγα ἐπὶ Ταινάρῳ, ἐπὶ δελφῖνος ἐπεὼν ἄνθρωπος.

Iam vero ut de totius fabellae indole videamus, plura exputari possunt, quibus haec sibi enodasse aliquis crediderit*). Occurrit similis in sacris historiis obvia de Jonâ vate narratio, quam nuper ad somnii ludibrium quisquam non dubitavit revocare.

Diversa ratio Larcheri**) est, qui a navis Delphini signo ornatae specie Herodotei mythi originem repetendam esse suspicatur. Quo ipso ut non infitior tolli continuo, quae, quia credi nequeunt, legenti molestiam creant: ita doctissimum virum nolim ea amplexum, quae Palaephato potius et cuique hujus hominis simillimo relinquenda viderentur.

Sed age experiamur an alia forte via ad narrationis indolem perspiciendam perveniri possit.

Delphini dorso *poëtam* vectum servatumque praedicat fabula. Est haec quidem illa bellua, cujus miram***) celeritatem, mansuetudinem ingenii, singularem in homines amorem, ceterasque, quod *Solinus* ait, miraculi caussas multiformes, tum poëtae veteres certatim celebrant, tum vero ipse summus ille naturae indagator Aristoteles. Pueri praecipue apud Veteres passim his belluis dilecti feruntur. Pervulgatus delphini in Jasi Cariae urbis puerum amor, praeter ceteros, *Athenaeo* memoratus Libro XIII. Pag. 300.

*) Non repeto quae postea adposui ad locum Herodoti Vol. I. p. 56—62. ed. Baehr. et Cr. nec magis quae de hac fabulâ disputavi in Symbolicâ et Mythologiâ Part. III. p. 267—273. ed. tert.

**) Notes sur Herod. Tome I. Pag. 212. nouvelle ed. Miror equidem in suam rem non adhibitum esse eruditissimo viro *Salmasium* de navibus δελφινοφόροις copiose disputantem ad *Solini* Polyhistor. Pag. 402 seq. ed. Traject.

***) *Delphinus Delphis* Linnaei vid. *Blumenbach* Handbuch der Naturgeschichte Pag. 133. Longum est omnia expromere quaecunque hac in re lusit antiquitas. De Delphini celeritate *Pindari* locus est Pyth. II—92. ubi cf. Scholiast. adde *Pindari* Fragmenta incerta Pag. 100. ed. Heynii. — Aristotelicam hujus bestiae descriptionem exhibet *Schneider* in Eclogis physicis Pag. 41. cf. Ejusdem Anmerkungen Pag. 36 seq.

ed. Basil. ex *Duride Samio*. Simile quid Puteolis Augusto principe accidisse refert *Plinius**) Histor. Nat. IX — 8. delphinique effigies in Augusti numis obvia, teste *Spanhemio* de Usu et Praest. Numism. Tom. I. Pag. 227. Nec minus Jasenses illius eventi in suis numis memoriam exstare voluerunt, vid. *Eckhel* doctrin. num. vet. Part. I. Vol. II. Pag. 584. Ceterum in totam hanc rem consulendus *Salmasius* ad Solini Polyhist. Pag. 130.

In quibus ne diutius immorer: ea tantum proferam quae ad nostrum locum facere videantur. Quorum illud primum est, quod et ipsum Veterum fama celebratum reperitur: „mulceri delphines musicâ cantuque gaudere tibiarum**).“ Cujus rei caussa φιλόμουσοι dicebantur, ut in ipso illo in Neptunum hymno, quem cum *Aelianus* in animalium historia***) ut genuinum Arionis foetum exhibeat, plurimorum doctorum hominum plausum ferre non potuit. —

Apud *Plutarchum* †) quoque *Pindari* verba leguntur: „se incitatum esse, dicentis, ad cantum, marini delphini in morem, quem tranquillo in mari tibiarum melos amabile commovet.“

Quid? ea quoque hujus belluae apud Veteres feruntur

---

*) Unde desumtam fabulam lectoribus suis propinat *Scipione Mazzella* auctor libri Sito e Antichità della Cità di *Pozzuolo* Pag. 113.

**) sunt *Solini* l. l. verba, qui sua ex *Plinio* hausit, in quo haec: „Delphinus non homini tantum amicum animal, verum et musicae arti, mulcetur symphoniae cantu et praecipue hydrauli sono.“ — Hanc φιλομουσίαν *manato* recentiores tribuunt. Quae res Linnaeum movit ut Delphinum Veterum pro manato habendum esse suspicaretur. In alia abit *Beckmann* ad Antigon. Caryst. Pag. 110. vid. *Schneider* ad Aelian. hist. anim. II — 52. Pag. 74, *Jacobs* ad Antholog. graec. Vol. I. Part. I. Pag. 180.

***) Libr. XII — 45. unde in Anthologiam graecam fluxit, vid. Tom. I. Pag. 48. ed. *Jacobs*. Eundem *Hermann* emendatum dat (in Commentatione de tragica et epica poësi ad calcem Aristotelis de Arte Poeticâ Pag. 235), et ut adsolet h. e. docte vertit *Voss* in den mythologischen Briefen Tom. II. Pag. 184.

†) Symposiacon Tom. II. Pag. 704 seq. E. Xylandr. Locum *Schneideri* curâ inter Pindarica relatum (vid. Fragm. incert. Pag. 107. Heyn.) tractavit *Jacobs* in Notis ad Anthologiam graec. Vol. I. Part. I. Pag. 180.

quae vel mollioris cujusdam animi videri queant, velut cum „pro voce gemitum edere dicitur similem humano *).“

Cujus quidem sensus cum a ceterarum id genus belluarum torpore ita recederet, ut etiam ab humanitate propius abesse videretur, non defuere solertiora ingenia, quae hanc rem ad fictionum lusum traducerent.

Inde quod nullam ad rem hominum indigens omnibus benignum esset animal **), id praecipuo quodam amore poëtas diligere credebatur.

In quo genere hoc est, quod Hesiodi ***) nullâ suâ culpâ per sinistras suspiciones ex insidiis trucidati in mare devolutum cadaver excipiens delphinorum grex ad Rhium Aetoliae promontorium et Molycriam deportasse fama erat.

Quam belluam mirum non est poëtarum antistiti Apollini dignam visam fuisse, quae prae ceteris ornaretur maxime. Nobilitata erat in Delphorum originibus „de Cretensibus fabula, ab Apolline sub *delphini formâ latente* Delphos ad sacrorum ministerium devectis,“ quam qui in Homericis legitur in Apollinem Pythium hymnus miris coloribus variat et ornat †).

---

*) *Solini Polyhistor.*

**) Plutarch. de Solert. animal. Pag. 984. (ed. Xyl. ubi hoc quoque: „quod optimi requirant philosophi: τὸ φιλεῖν ἄνευ χρείας, id huic soli animali Naturam indidisse.“

***) Plutarch. Sept. Sapient. Conviv. Pag. 162. D. Xyland.

†) vers. 400 sqq. ἐν πόντῳ δ' ἐπόρουσε, δέμας δελφῖνι ἐοικὼς
Νηὶ θοῇ, καὶ κεῖτο πέλωρ μέγα τε δεινόν τε κ. τ. λ.
Augusto *Matthiae*, eleganti horum hymnorum interpreti „orta fabula videtur ex rationibus etymologicis, ut appellationis Apollinis *Delphici* et nominis *Delphorum*, Pythoni urbi inditi ratio redderetur,“ Prolegom. Pag. 33. — Quod mythorum genus ut neminem fugit pervulgatum esse apud Graecos, praecipue in populorum originibus, docente *Heynio* ad Apollodor. Biblioth. Pag. 204 et 771 seq.: ita hac quidem in fabula alia caussa subesse potuit ex ipsa Delphini indole repetita, ut cantus musicaeque studiosum animal harum artium inventori et praesidi Deo in deliciis esse crederetur; quod ipsum *Plutarchus* innuit de Solert. animalium Tom. II. Pag. 984. B., qui postquam hanc fabulam narravit hoc addit: εἰκὸς μὲν ὂν ἦν καὶ τὸ φιλόμουσον ἀγαπᾶν τοῦ θηρίου τὸν θεόν. Quem locum si vir doctus curatius inspexisset, Plutarchum ipsum non ea narrare fecisset, in quibus is a μυθογράφων fide vel

Quibus hoc certe efficitur: fieri non potuisse, quin priscis illis hominibus, cum forte artem symphoniacam adeoque poesin cogitarent, facile ejus animalis in mentem veniret, cui mansuetius ad humanitatis sensum ingenium ipsa natura finxisset, quodque videretur ut omnium hominum ita poëtarum maxime summo amore et desiderio teneri. Quo ipso cogitandi fingendique usu imaginum varietate suavitateque gestiens antiquitas facile adduci potuit ut, ubi peculiare poesi et cantui symbolum requireretur, delphini formam adhiberet.

---

maxime discedit, hoc tradentium: „induisse Apollinem Delphini formam,“ vid. l. l. A.

Ceterum mythi vestigia in Delphorum numis obvia, ut in Goltzianis, in quibus *viri Delphino vecti* effigies apud *Eckhelium* D. N. V. Vol. I. Part. II. Pag. 194, licet is de nonnullis dubius haereat. Vid. nunc Catalog. numorum meorum p. 4. Nr. 11—14. et conf. v. Werlhof Handbuch der Griechischen Numismatik p. 132.

NATALITIIS SEXAGESIMIS PRIMIS
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI

WILHELMI I.

SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIS,
HASSIAE LANDGRAVII, RELIQVA.
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI
LAETANTI HASSIAE SACRIS
SVFFRAGATVR ACADEMIA MARBVRGENSIS
VOTIVA ORATIONE
IN AVDITORIO MAIORE
DIE III. IVNII HORA X. DICENDA.
MDCCCIII.

MYTHORVM AB ARTIVM OPERIBVS PROFECTORVM EXEMPLVM PROPONITVR. SECTIO POSTERIOR.

Jam ut propius accedamus, quo dudum festinat animus, cum haud alienum videretur illius belluae formâ symbolice declarari poëticen cum cantu et musicâ, neque absonum videri poterat, eandem imaginem ut *attributum* quod dicere solent, poëtae alicujus statuae adjungi. Fuerit hoc antiquioris artis rudius fortasse opus Arionem*) exhibens, sive alium quempiam, *poëtam certe, addito, quo poëseos natura significaretur, delphini signo;* evanuerit sensim ex hominum memoriâ vera operis caussa et origo.

Atqui hoc non obscurum est, quam proni sint hominum, incultiorum maxime ad ejusmodi commenta animi, ut quidquid vel in rerum naturâ, vel in artis operibus illorum sensus gravius commoverit, illud continuo ex sui

---

*) Arion delphino vectus dextra extenta plectrum, sinistra lyram in nummis *Methymnaeorum* conspicitur, vid. *Eckhel* D. N. V. Part. I. Vol. II. Pag. 502.

ingenii modulo metiantur. Graeci praecipue, quibus nulla unquam gens liberius fabularum varietate lusit, in hoc quoque genere ingenio suo maxime indulserunt. Cujus rei in mythis*) multa exempla reperiuntur, quorum copiam expromere non attinet.

Unum sufficiat in ipso *Homero***) obvium, ubi quem Eetioni regi aggesserat tumulum Achilles, eum Oreades nymphae ulmis consevisse dicuntur. Erat certe Eetionis regis memoriam servans tumulus, erant arbores, sed mira illa satio ad hominum haec ita sibi persuadentium arbitrium pertinet.

Sic, ut huc revertar, verine similius est, Graecos homines, quorum oculis viri delphino vecti usque obversaretur species, acquievisse in eo, quod oculis haurirent h. e. nil nisi hominem delphino vectum cogitasse: an latitantem rei caussam inde repetiisse, quo duceret et poëtarum diis carorum sanctitas***) et animalium φιλομούσων indoles, et vero fortasse fama quaedam, quae Arionem aliquando undis periclitatum ferret†). Nisi hoc malueris, fuisse illud revera Arionis signum, cui delphin, quo poëtae officium significaretur, adjunctus esset; quem deinde poëtam, quo magis ingenii gloriâ floreret, hujus belluae dorso undis

---

*) etiam eorum populorum qui nunc per Asiam et Africam vivunt.

**) Iliad. VI—420 sq.

περὶ πτελέας ἐφύτευσαν
Νύμφαι Ὀρεστιάδες κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

ubi cf. *Heynii* Not.

***) In qua, ne plura congeram, totus fere versatur egregius in Mercurium hymnus Homericus. Facit huc quoque illa Pindarica sententia Olymp. IX—42 sq.

— — ἀγαθοὶ δὲ
Καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον᾽ ἄνδρες
Ἐγένοντο. — —

quam hic mythus Herodoteus quodammodo illustrare videri possit. Adde Pyth. I—79. — Hinc Arion Dioni Chrysostomo Orat. XXXVII. θεοφιλὴς dicitur.

†) Non constitisse sibi in hac ipsâ fabulâ hominum tradentium rumorem docet *Luciani* locus Dialog. marin. Tom. II. Pag. 111. monente etiam *Hemsterhusio* ad h. l. Ibid. Pag. 371. ed. Bipont.

enatasse fingerent. Veniam autem eo promtiorem inveniet haec fingendi libido, quo conjunctior esse reperitur cum intimo humani ingenii, nihil ad caussarum nexum non revocantis, sensu, ut explicandi deficiente facultate: comminiscendi esset adeo quaedam necessitas.

Videtis me non curare versus istos, quos tanquam in illo signo inscriptos profert loco supra laudato Aelianus, cujus fides non eo valere potest, ut ab Herodoti auctoritate recedamus, nil nisi nudam hominis statuam memorantis. Neque vero qui pressius hujus vestigiis insistere videntur *Aulus Gellius**), *Pausanias***), *Dio Chrysostomus****) tituli alicujus ullam mentionem faciunt. Verum, ut hoc largiar, apparuisse in hoc opere eos ipsos versus Aeliano laudatos: iidem tamen postea afficti esse potuere, celebratâ jam omnium sermone illâ de miro equite fabulâ.

Quae ipsa commentato mihi, cum deinde in haec *Heynii* verba incidissem, gaudio fuit: gemina his ei viro in mentem venisse. Sic enim ille †): „Sunt quoque, quae ab antiquis donariis et artium operibus profecta sunt. Sic suspicor fabulas ex signorum symbolis profectas. Ita de Arione a delphine servato narratio non aliam videtur originem habuisse, quam ejus signum.“

Verum ut illud teneo: profectam esse omnem fabulam ab antiquo artis opere, ita aliam explicandi ipsius signi rationem exputaram, quae haud scio an illi superiori prae-

---

*) Noct. Att. Lib. XVI—Cap. 19. — „Eam fabulam dicere Lesbios et Corinthios: atque esse fabulae argumentum, quod simulacra duo aenea ad Taenarum viserentur, delphinus vehens et homo insidens.“ cf. *Solini* Polyhist. Cap. 7.

**) Laconica Tom. I. Pag. 444. ed. Fac. *Ἀναθήματα δὲ ἄλλα τέ ἐςιν ἐπὶ Ταινάρῳ καὶ Ἀρίων ὁ κιθαρῳδὸς χαλκῦς ἐπὶ δελφῖνος. Τὰ μὲν ὖν ἐς αὐτὸν Ἀρίονα καὶ τὰ ἐπὶ τῷ δελφῖνι Ἡρόδοτος εἶπεν ἀκοὴν ἐν τῇ Λυδίων συγγραφῇ.*

***) l. l. Pag. 102. Tom. II. ed. Reisk. *Ἀρίων δὲ — ποιησάμενος μίμημα χαλκῦ ὃ μέγα, ἀνέθηκεν ἐπὶ Ταινάρῳ, καὶ αὐτὸν ἐπὶ τῦ εὐεργέτυ καθήμενον.*

†) De fide hist. aetat. myth. Commentat. Societat. Gotting. Vol. XIV. Pag. 117.

ferenda videatur. Movit praecipue *Pindari**) locus, ubi in illo Medeae de condendâ Cyrene vaticinio haec leguntur:

'Αντὶ δελφίνων δ' ἐλαχυπτερύγων
Ἵππȣς ἀμείψαντες θοὰς
Ἁνία τ'. ἀντ' ἐρετμῶν
Δίφρȣς τε νωμάσοισιν ἀελλόποδας.

„Delphinesque breviter alatos (pinnatos) equis permutantes velocibus, habenas pro remis et currus gubernabunt procellipedes."

Quo in loco hactenus ab *Heynii***) auctoritate judicium meum sejungo, ut delphinorum *piscatum* cogitandum esse negem. Primariae totius sententiae, quam Scholiastes bene explicat: — *νησιῶται ὄντες οἱ Θηραῖοι ἠπειρῶται γενήσονται*, altera notio illustratur hac imagine: *gubernabunt habenas, currus, ideoque equos:* altera hac: *gubernaverant remos* ideoque delphinos. Quae posterior idea ad vividiorem sensum poëtae revocanda est, qui quo sententiarum concinnitati serviret, sicut habenarum et curruum tractationem tractationi remorum opposuerat: ita equorum gubernationi gubernationem delphinorum opponit ***).

Est alius quoque locus, quo mihi similis imago ex-

---

*) Pyth. IV—29 sqq.

**) in Notis ad h. l.

***) Admonent haec loci *Herodotei* I—27. ubi similiter *νησιῶται* et *ἠπειρῶται* opponuntur. In quo ingeniosissima *Toupii* (Emendat. ad Suid. vid. Opuscul. Crit. ed. Lips. Tom. II. Pag. 64 seq.) conjectura: *αἰωρεομένȣς* ideo *Larchero* improbatur, quod Herodotus minime Isocrateo more membra aequalia fingere soleat. Quod licet verissimum sit; tamen antiquiores illi non prorsus abhorruisse videntur ab hac orationis concinnitate. Thucydidem quidem notum est ejusdem rei vel studiosiorem judicatum esse (vid. *Dionys. Halic.* de Thuc. Jud. Tom. VI. Pag. 869. ed. Reisk. cf. *Demetr.* de Elocut. §. XXV.), ipsiusque Herodoti oratio nonnumquam, in dialogis praecipue, ad *τὸ ἰσόκωλον* propius accedere velle videtur. Quo pertinet v. c. illud III—53. *Φιλοτιμίη κτῆμα σκαιόν· μὴ τῷ κακῷ τὸ κακὸν ἰῶ. πολλοὶ τῶν δικαίων —. τυραννὶς χρῆμα σφαλερόν, πολλοὶ δέ —.* Quare haud scio an illud *αἰωρεομένȣς* admittendum sit, cujus etiam vestigia in plurimorum Codicum lectione: *ἀρώμενοι* agnoscas.

pressa videtur. Apud *Euripidem* in Helena*) Chorus remum ita compellat:

Φοίνισσα Σιδωνιὰς ὦ
Ταχεῖα κώπα, ῥοθίοισι μήτηρ
Εἰρεσίᾳ φίλα,
Χοραγὲ τῶν καλλιχόρων
Δελφίνων, ὅταν αὔραις
Πέλαγος νήνεμον ᾖ.

Ubi quum *remus delphinorum choragus* dicatur, apparet: remiges adeoque *nautas eorundem duces et rectores* cogitari. Quod ipsum quantopere ad locum Pindaricum illustrandum faciat non attinet monere.

Itaque trita usuque firmata priscis hominibus, poëtis maxime fuisse videtur navigationis cum delphinorum natantium lusu conjunctio. Quidni igitur ubi eandem navigandi artem usumque suaviore quâdam imagine declarari vellent, velut in artis opere, hominis delphinis dorso vecti symbolo uti potuerint? Hoc certe qui locum Pindaricum supra laudatum accuratius inspexerit dubium erit nemini.

Et vero reapse ita factum fuisse persuadent insularum et emporiorum veteres numi**) in quibus nihil frequentius delphinorum effigie.

Ex quibus hoc mihi colligere posse videor: *fuisse illud*

*) 1467 seqq. cf. *Electr.* 433 seqq. Locum pluribus conjecturis tentat *Musgravius*, vid. Tom. III. Pag. 568. ed. Beck. qui sic legendum censet:

Φοίνισσα Σιδωνιάς ὦ — Τάχ' εἶα, κώπα, ῥοθίοισι μήτηρ — Εἰρεσία φίλα

et in sequentibus: *ὅταν αὔραις — πέλαγος εὐήνεμον.*

**) Vid. *Spanhem.* de Usu et Praest. Numism. Tom. I. Pag. 227 sqq. — praecipue *Eckhel* D. N. V. ubi Part. I. Vol. II. Pag. 322. in Carystiorum *Euboeae* numis *prora navis.* Ibid. Pag. 239. in *Corinthiorum* numo Neptunus stans, dextra *delphinum* s. tridentem; in alio Corinthiorum numo: vir nudus stans, dextra *gubernaculum* etc. Ex quo patet: variari in his ita, ut nunc navis pars vel instrumentum navigatorium, nunc delphinus ponatur. Verum ne multa: in *Messanae* Siciliae numis pluribus *delphinus* conspicitur, vid. Ibid. P. I. Vol. I. Pag. 219 seqq. ubi sic *Eckhel* Pag. 220. „*typus delphini urbem certe maritimam notat;*" ut jam *Tarentinorum* numos omittam in quibus frequens *vir nudus delphino vectus*, quoniam his quidem urbis conditor Taras

signum (ἐπὶ δελφῖνος ἐπεὼν ἀνθρώπους) *antiquam navigationis significandae imaginem, quae deinde, verso in historiam symbolo, ad Arionem celebriorem per ea tempore poëtam traheretur.*

Quod *symbolorum in rem gestam trahendorum* vitium magnam fabularum copiam peperisse putandum est*).

Totum vero illud mythorum ab artis operibus profectorum genus per omnem Graecorum historiam latius patet. Quo pertinet fortasse illa apud *Pausaniam***) de Auge, Herculis uxore *Hecataei Milesii* narratio***). In Herodoto quoque ne longius abeam, alia plura sunt, in quibus ab hoc ipso summa res pendere videatur†). Sed cautius agendum in his, neque quidquid per historias conjunctum cum hoc genere inventum fuerit, id uno eodemque explicationis ambitu complectendum.

---

significari potest; vid. Ibid. Pag. 146. — Sic *Melicertam* quoque cum *Inone* matre in mare incidentem delphines excepisse ferebantur, vid. *Pausan.* Tom. I. Pag. 172 sq. Fac. *Lucian.* l. l. Tom. II. Pag. 108. Bipont. *Philostrati* Imagin. I—19. Pag. 794. ed. Olear. coll. II—Cap. 16. Cujus fabulae jucunda in *Corinthiorum* numis varietas, in quibus saepe fingitur Melicerta delphinis dorso vectus, teste *Eckhelio* Part. I. Vol. II. Pag. 242.

*) Sic, ut hoc utar, celebrata illa de *Minotauro* fabula *Heynio* „ortum videtur habuisse ex antiquo aliquo opere, quod Cretae servabatur, quod symbolicum esset, capite taurino homini imposito; quâ formâ Fluvii interdum exhibentur in numis.“ Not. ad Apollodor. Biblioth. Pag. 537. In quam rem nunc consulenda est *Eckhelii* disputatio D. N. V. Part. I. Vol. IV. Pag. 315.

**) Arcadica Tom. II. Pag. 358 seq. ed. Fac. ubi hoc: *καὶ νῦν ἔςι μὲν Αὔγης μνῆμα ἐν Περγάμῳ τῇ ὑπὲρ τȣ̃ Καΐκȣ, γῆς χῶμα, λίθȣ περιεχόμενον κρηπῖδι. ἔςι δὲ ἐν τῷ μνήματι ἐπίθημα χαλκȣ̃ν πεποιημένον, γυνὴ γυμνή.*

***) Debebam Graecis Romanos addere, siquidem speciosa saltem est *Goethei* conjectura, cum dicit: „Sollte die Sage der von einer Wölfin gesäugten Heldenkinder nicht durch einen bildenden Künstler zuerst entsprungen sein, der einen solchen Gedanken plastisch am besten zu schätzen wusste?“ (Oper. Vol. 39. p. 289.) — De Auge Herculis confer nunc Hecataei Milesii Fragmenta p. 48—50. ed. Cr. itemque Car. Mülleri Vol. I. p. 27. Nr. 345.

†) II—181. *Ladices* fortunae vicissitudo. — IV—14, 15. *Aristeae* Proconnesii mira facinora.

Non alienum erit huic disputationi adjicere ipsum, quem Arionis poëtae Aelianus perhibet hymnum*) ex viri supra laudati emendationibus:

῞Υψιςε θεῶν
πόντιε, χρυσοτρίαινα Πόσειδον,
γαιήοχ' ἐγκύμον' ἂν ἅλμαν
βραγχίοις περὶ δή σε πλωτοὶ
θῆρες χορεύουσιν ἐν κύκλῳ,
κούφοισι ποδῶν
ῥίμμασιν ἐλαφρ' ἀναπαλλόμενοι σεισμῷ,
φριξαύχενες ὠκύδρομοι σκύλακες,
φιλόμουσοι δελ —
φῖνες, ἔναλα θρέμματα κουρᾶν
Νηρηΐδων θεᾶν,
ἃς ἐγείνατ' Ἀμφιτρίτα.
οἵ μ' εἰς Πέλοπος γᾶν ἐπὶ Ταιναρίαν
ἀκτὰν ἐπορεύσατε,
πλαζόμενον Σικελῷ ἐνὶ πόντῳ,
κυρτοῖσι νώτοις ὀχέοντες,
ἄλοκα Νηρείας πλακὸς
τέμνοντες, ἀςιβῆ πόρον,
φῶτες δόλιοι
ὥς μ' ἀφ' ἀλιπλόου γλαφυρᾶς νεώς
εἰς οἶδμ' ἁλιπορφύρου
λίμνας ἔριψαν.

*) „Arioni carmen abjudicat Boeckh in Actis Academ. Berolin. 1836. 74. antiquioris tamen poetae esse statuit, cf. Welcker Opusc. I. 95. Mihi vero novitium omnino videtur carmen, quod ante Euripidem vix potuit componi.“ *Th. Bergkh* in Poetis Lyricis Graecis p. 662 sq. cujus annotationes criticae nunc adhibendae sunt.

II.

PHILOSOPHORUM VETERUM LOCI DE PROVIDENTIA DIVINA ITEMQUE DE FATO EMENDATI ET EXPLICATI.

NATALICIA. UNDEOCTOGESIMA.
AUGUSTI. AC. POTENTISSIMI. PRINCIPIS.
AC. DOMINI.
CAROLI. FRIDERICI.
MAGNI. DUCIS. AUTOCRATORIS. BADAR.
DUCIS. ZAHRINGIAE. COMITIS. PALATINI.
AD RHENUM. RELIQUA.
RECTORIS. MAGNIFICENTISSIMI.
LAETANTI. PATRIAE. SACRA.
RITE. PIEQUE. CELEBRAT.
DIE. XXII. NOVEMBRIS.
ACADEMIA. HEIDELBERGENSIS.

PHILOSOPHORUM. VETERUM. LOCI. DE. PROVIDENTIA. DIVINA. ITEMQUE. DE. FATO. EMENDANTUR. EXPLICANTUR.
MDCCCVI.

Constat inter eruditos, Ciceronis operum nec ullum genus adeo emendatum haberi, ut legentibus ubilibet pateat, et vero maxime a criticâ ratione laborare illud, quod in philosophiâ illustrandâ versatur. Quo in numero prae ceteris habendus ille liber est, qui de Naturâ Deorūm inscribitur. Emendationis autem praesidia continentur vel solo ingenio, vel veterum librorum fide, vel assiduo usu cum ejus scriptoris, quem emendare instituas, tum fontium, e quibus ille sua repetiit.

Quorum licet nullum negligendum sit, hoc tamen, quod ultimo loco posuimus, in Cicerone latissime patet. Nam cum Romanorum philosophia e Graecorum sapientiâ sic

effloruerit, ut illic nihil fere reperias, quin hinc progenitum et parentis quasi gremio nutritum cognoscas: consequens est, ut, qui cum fructu velit Latinae philosophiae monumenta illustrare, ad Graecorum opera transeat, unde subsidiorum plurimum repetatur. Quocirca non est quod timeamus, ne illius libri explicatio peritioribus videatur nimia diffundi et revocanda esse a vario erraticoque lapsu, si quando ea latius serpat et liberius feratur nunc per Epicuri hortos viretaque Lycei nunc et per Academiae frequentiora spatia et solitudinem Plotini Aegyptiacaeque philosophiae latebras ac recessus. Nunc tamen, quoniam intra academicae scriptionis terminos cohibenda oratio est, eum modum adhibebimus, ut illius libri unum locum seligamus itemque alterum, quae et impeditiora videantur, et ad certa capita revocari queant. Quae ita tractabimus, ut solum id spectemus quod vel critices medelam desiderare visum fuerit, vel interpretationis lucem, quo expediatur opera eorum, qui philosophiae historiam sibi illustrandam sumunt.

Ordiamur a divina Providentia, quae in EO, cujus natalitia agimus, tot curae suae documenta dedit, ut ubertimus inde fructus in nosmet ipsos inque hanc, quae patria nobis est, terram redundarit.

CAPUT I.

LOCI VETERUM PHILOSOPHORUM DE PROVIDENTIA.

Apud Ciceronem de Natur. Deor. I. 8. exorditur Vellejus Epicureus a reprehensione Platonis et Stoicorum, unde ad reliquorum sententias philosophorum ordine recensendas progreditur.

„Audite, inquit, non futiles commenticiasque sententias, non opificem aedificatoremque mundi Platonis de Timaeo deum, nec anum fatidicam Stoicorum *πρόνοιαν*, quam latine licet providentiam dicere.“

Walkeri Angli suspicio: in Timaeo, nullius codicum,

quos inspicere licuit*), auctoritate firmatur. Longius tamen a vulgato recedit Parisiensis B, qui ita: — mundi de Platonis Timaeo, deinde nec anum. Quod nos non magis moramur, quam illud Oliveti: nec autem fatidicam.

Huic loco jungimus alterum II. 22. „Talis igitur mens mundi cum sit, ob eamque caussam vel prudentia vel providentia appellari recte possit (Graece enim πρόνοια dicitur) et in his" rel.; ubi Davisius bene tuetur illud vel prudentia vel cum loco Ciceronis Academ. I. 7. tum testimonio codicum praecipue Palatinorum, quibuscum et nostri faciunt, praeter unum Uffenbachianum. Contra de N. Deor. II. 29. „Velut a te ipso hesterno die dictum est anum fatidicam πρόνοιαν a Stoicis induci, id est providentiam" haec postrema a Davisio Ernestoque pro glossemate habentur, quae nec legantur in Codice Ursini. Recte et hoc, si quid video, quamquam nec librorum nostrorum ullus suffragetur et obloquatur Kindervaterus, cui viro, ceteroquin haud indocto, in dijudicandis tamen lectionibus nihil tribuendum esse alias demonstrabo.

III. 40. „Lucilius autem, vehementius, inquit, Cotta, tu quidem invectus es in eam Stoicorum rationem, quae de providentia deorum ab illis sanctissime et providentissime constituta est." Vulgatam confirmant Paris. A et Norimb. A. Contra Pariss. B. C. cum Uffenbachiano exhibent meram pro eam. Monstrosa lectio est Cod. Norimbergensis B: affectus est in HORAM istam Stoicorum sententiam. Dubitavi olim, num legendum sit:

---

*) Eorum codicum, quorum copiam nobis fecit amicissimorum hominum liberalitas, vel excerpendo vel exemplis ipsis transmittendis, accuratiorem notitiam exhibebimus alias. Sunt vero sex numero, nondum collati: Parisienses tres, duo Norimbergenses, Uffenbachianus unus. Nolo repetere quae et ipse et Moserus adposuimus ad Editionem majorem hujus libri p. 30 sqq. et p. 16 sqq. Lips. Hahnianae a. 1818 et 1821: hoc unum addere volo quod postea adscripsi: „anus fatidica" i. e. χρησμολόγος γραῦς apud Plutarch. de nobilitate in Christ. Wolfii Anecdott. IV. p. 223.

„invectus es coram in istam Stoicorum rationem." Quae suspicio fulciri videtur posse eo, quod modo dixi, lectionis portento. Nunc magis arridet ingeniosa Davisii conjectura „in auream istam St. r.," quae et ipsa firmatur eadem auctoritate.

Transeamus ad Graecorum philosophorum loca, quae hac data occasione tractare visum est.

Ac primum, sicut Epicurei*), quod modo vidimus, Stoicorum de providentiâ placita irridebant, ita hi contra hanc illorum negandi audaciam ludibrio solebant habere. Quod intelligitur ex Hieroclis Stoici sententia, quam referente Aulo Gellio N. A. IX. 5. Taurus Platonicus passim in ore habebat, quando mentio fiebat Epicuri: *Ἡδονὴ τέλος· πόρνης δόγμα. Οὐκ ἔςι πρόνοια· ὀδὲ πόρνης δόγμα.* „Voluptas finis: meretricis placitum. Non est providentia: ne quidem meretricis placitum." Sic enim hunc locum optime emendavit Pearson et explicuit Bentley Addend. ad Dissert. de Epistol. Phalarid. pag. 446. ed. Lips.

Neque tamen universi Stoici risu excipiebant illas Epicureorum notas, sed serio non nulli easdem diluere conabantur. Huc facit locus Sallustii philosophi *περὶ Θεῶν κ. κοσμ.* Cap. IX. (in Galei Opuscul. mytholog.) pag. 260. — *αἵτε ἐν τῷ κόσμῳ μαντεῖαι, καὶ θεραπεῖαι σωμάτων γιγνόμεναι, τῆς ἀγαθῆς προνοίας εἰσὶ τῶν θεῶν· τὴν δὲ τοιαύτην περὶ τὸν κόσμον ἐπιμέλειαν ὀδὲν βολομένυς, ὀδὲ ποιῦντας* (leg. *πονῦντας*) *τὸς Θεὸς ἡγητέον ποιεῖσθαι κ. τ. λ.*

Πονῦντας reponendum esse pro *ποιῦντας* perspicuum est cum ex sequentibus, ubi eodem sensu *ἀπόνως*, tum ex ipso Epicureorum placito, quod idem attigit: *ὥςε καὶ αἱ τῶν Ἐπικυρείων λέλυνται ζητήσεις· τὸ γὰρ θεῖον, φασίν, ὀδὲ πράγματα ἔχειν, ὀδὲ ἄλλοις παρέχειν.* cf. Di-

---

*) Jam ante Epicuri aetatem Antiphon Sophista divinam providentiam sustulit teste Origine adv. Celsum IV. P. 176. laudatus a Ruhnkenio in Dissert. de Antiphonte, vid. Ruhnk. Opuscul, Pag. 251 seq.

ogen. Laërt. X. §. 139. Cic. de Nat. D. I. 17. ibiq. Davis. adde Xenophontis Memorabil. Socr. II. 1, 9. ubi Schneiderus bene disputat contra Weiskium. Caeterum confusum ποιεῖν et πονεῖν multos depravavit veterum locos; conf. Wyttenbachii, viri summi, Animadverss. ad Eunapium. Epist. crit. pag. 262.

Stoicorum autem primarium fuisse hoc placitum: Dei providentiâ universa administrari, nemo nescit, et loquuntur Arriani, Senecae, aliorum disputationes; vid. Stobaei Eclog. Vol. I. pag. 70. 132. ed. Heeren. Epicteti Dissertt. Tom. I. pag. 86. 426. ed. Schweigh. add. Lipsii Physiologiam Stoicorum Lib. I. Dissert. 11., ut alios taceam. Vetustiorum quoque Stoae principum hac de re insignes libri legebantur, velut is, qui a Laërtio VII. 138. laudatur, nobilissimi Chrysippi. Quibus postea se adplicuit Aelianus Praenestinus, ita ut impugnandi Epicuri gratiâ librum conscriberet, quo providentiae divinae documenta ex universâ*) historiâ in unum collecta exhiberentur. Qui libellus et ipse inscribitur περὶ προνοίας et passim laudatur a Grammaticis, ut ab Eustathio ad Iliad. Z. pag. 523. 53. et a Suida. Hujus unum locum adscribam in voce Ἐπικου., quo de ipsius lectione moneam. Ponit ibi Lexicographus cum alia doctrinae Epicureae capita, tum et illud: *Εἶτα, ὅτι ἐκ προνοίας φύρεται πάντα, ὅτε κυβερνήτην, ὅτε ἰθυντήν, ὅτε ποιμένα ἔχοντα.* Nemo non intelligit reponendum esse ἄνευ προνοίας. Quod et Kusterus vidit. Vitium ortum ex scribendi compendio. Caeterum φύρεσθαι (cf. Platon. Gorgia, cf.

---

*) Non solum apud rerum scriptores, sed etiam in reliquis historiae monumentis Providentiae divinae frequentatur memoria. In numis quidem inde ab aetate Augusti. Symbola varia, in his ara, fulmen, aquila, praecipue globus (cf. Plin. H. N. II. 2.), qui orbem terrarum significabat Deorum providentiâ Principibus permissum. Universi hujus generis haud rara exempla per libros, qui de numis inscribuntur. cf. Eckhel D. N. V. IV. p. 81. VII. p. 144. Epigraphe illa: Deorum Providentiae, vel *ΠΡΟΝΟΙΑ ΘΕΩΝ*. Etiam signa ex eo genere reperiuntur. Quo pertinet Providentiae statua cum globo in Musée Napoléon. Nr. XXXI. Tabula IV.

Diog. Laërt. II. 6. de Anaxagorâ ubi συνεσφήκωσε simili sensu, cf. ibi Menag.) dicuntur ea, quae miscentur temere et conturbantur. Cui nonnumquam jungitur εἰκῇ, ut ab Aeschylo in Prometheo vinct. 450. Haud valde dissimili sensu φέρεσθαι εἰκῇ ea dicuntur, in quibus neque ratio nec ordo apparet, qualis est is, quo in mundo disponendo servandoque agit providentia. Hoc posterius frequentatur alibi et legitur in eodem Suidae loco. φύρεσθαι polluendi quoque significatum habet. vid. Gataker ad Marc. Antonin. III. 4. sicut et premendi, molestiasque creandi. Qua de re dixit Schweighaeuserus ad Epictet. Dissert. pag. 444.

Secuti sunt in hac doctrinâ tradendâ Stoici Platonem, qui primus dixit πρόνοιαν θεοῦ providentiam Dei, teste Phavorino apud Laërtium III. 24. quem locum in suam rem adhibuit Bentley l. supr. l. At vero jam Euripidem dixisse, qui fabulas doceret quo tempore nondum natus Plato esset, idoneis exemplis demonstrat Davisius ad Cic. de N. D. II. 31. Euripidea autem multa in suis scriptis eum philosophum expressisse norunt hujus studiosi, et confirmat Valckenarius Diatrib. in Eurip. Fragm. pag. 118. 207. Πρόνοιαν tamen et προνοεῖσθαι alio quoque sensu usurpasse scriptores post Platonem, ita ut quamlibet curam et prudentiam significet, non est, quod moremur. Hoc unum addere liceat, ab ipsis Stoicis illa sic adhibita reperiri, verbi caussa Marci Antonini Commentariis VIII. 3. ubi Gatakerus excitat illud Apostoli Epist. ad Rom. XIII. 14. τῆς σαρκὸς πρόνοιαν ποιεῖσθαι εἰς ἐπιθυμίας. Uberius de harum vocum usu in N. T. obvio egit Wetstenius N. T. II. pag. 86*).

Ut ad Platonem revertar, hic divinâ illâ, qua pollet, eloquentiâ providentiae divinae in res humanas potestatem mirifice praedicat cum aliis in libris, tum in decimo de Le-

*) De προμηθείᾳ, qua voce etiam providentia divina insignitur, cf. loci quos profert Stephanus in Thesaur. ling. gr. s. h. v. p. 1776. ed. Didot, ubi a me etiam προμηθείως citatur ex Olympiodoro. Nunc adde quae adposui ad Plotinum IV. 3. 14. p. 213. ed. Oxon.

gibus pag. m. 956 sqq. Qua in re, sicut in omnibus fere, haud paucos imitatores nactus est eosque egregios, veluti Plotinum in eo libro, qui est de προνοίᾳ, vid. Enn. III. Lib. II. qui tamen, sicut omnia hujus philosophí, manum medicam exspectat. Sic, ut hoc utar, in ipsius limine peccatum est a librariis, εἰ μὲν ὂν ἀπό τινος χρόνȣ πρότερον ȣ̓κ ὄντα τὸν χρόνον ἐλέγομεν γεγονέναι, τὴν αὐτὴν ἂν τῷ λόγῳ θέμεθα, οἵαν καὶ ἐπὶ τοῖς κατὰ μέρος ἐλέγομεν εἶναι. κ. τ. λ.

Disputat Plotinus contra eos, qui mundum hunc aliquo tempore natum contenderent. Ex quo patet corrigendum esse τὸν κόσμον. Sed de his alias. Huic jungamus ejusdem rationis sectatorem Jamblichum. Qui quidem cum in vita Pythagorae Cap. 32. Abaridem illum Scytham Phalaridi tyranno persuadentem faciat — ὡς ἐϛι θεία πρόνοια, πᾶσαν ἐλπίδα ἀνθρωπίνην καὶ δύναμιν ὑπεραίρȣσα, ipse quidem viderit, vel is quem ille secutus est, quam sit hoc ex historiae fide narratum. Alter ejusdem scriptoris locus est Cap. 28. de Thymarida Tarentino Pythagorico, qui, quo doceret non reluctandum esse providentiae, hac usus oratione est. Ipsa verba adscribam:

Καὶ τὶς ἤδη ἐπιβάντι τȣ̃ πλοίȣ εἶπεν, ὅσα βέλει, παρὰ τῶν θεῶν γένοιτό σοι, ὦ Θυμαρίδα. καὶ ὅς εὐφημεῖν ἔφη· ἀλλὰ βȣλοίμην μᾶλλον, ὅσα μοι παρὰ τῶν θεῶν γένηται. „Cumque in eo esset, ut jam navem conscenderet, quidam ad eum, eveniant tibi, Thymarida, quaecunque volueris: at ille, Di meliora! respondit; quin potius malim ea, quae mihi a Diis adventura sunt.“ Ita hunc locum emendandum censuit Casaubonus ad Athenaeum I. 7. Cetera quidem optime, at non item, quod is pro περὶ bis reposuit παρά, si vera est observatio magni Salmasii, adscripta exemplo Jamblichi, quod in Bibliothecâ nostrâ academicâ asservatur. Ille hunc scriptorem docet sexcenties περὶ usurpare, ubi sermonis graeci usus poscere videatur παρά. Qua ratione ductus idem in capite secundo extremo (pag. 9. ed. Kuster) περὶ γὰρ ἐκείνων-ἐφο-

διάσασθαι, quum cetera corrigeret, a περὶ manum abstinendam esse judicavit.

Cultam quoque ferunt Ἀθηνᾶν Πρόνοιαν Delphis, inde dictam, quod ipsius templum positum esset ante aedem Apollinis, teste Suidâ. At Προναία et hic reponit, et in omnibus veterum locis, ubi Minervae Delphicae mentio fiat, reponendum esse censet Larcherus V. Cel. in copiosâ disputatione ad Herodoti (I. 29.) haec: ἐν δὲ Προνηΐης τῆς ἐν Δελφοῖσι (Ionibus enim Προνηΐη eadem, quae reliquis Graecis Προναία. Cf. etiam quae leguntur in Lex. Rhetor. in Bekkeri Anecdott. gr. I. p. 293. et 299. Adjectivi forma Ionica legitur in Epigrammate Leonidae Tarentini VII. cf. Jacobsii Animadverss. ad Antholog. gr. Pag. 65). Illa vero quae idem vir doctus monet de vocibus Ἀθηνᾷ προνοίᾳ et προναίᾳ passim confusis, maximam partem jam occupata video ab aliis eruditis. Nimirum de emendandis Pausaniae binis locis Phocic. VIII. monuerat et Stanley ad Aeschyli Eumenid. 21. (cf. Wackefildii not. ad h. l.), et vero Ezech. Spanhemius ad Callimachi Hymn. in Pallada 115. Neque tamen quidquam de horum locorum lectione monuit novissimus Pausaniae editor. De illa confusione in universum etiam dixit Wesselingius ad Diodor. Sic. I. pag. 415. et Lennep ad Phalarid. pag. 143, quorum observationem nuper ad emendandum Parthenii Eroticor. Cap. 25. adhibuit Bastius lettre critique pag. 204, ubi similiter aliud egit Legrand, cum tamen jam alii eum locum tentarint, in his Larcherus. Atque hic quidem, cum illam observationem secutus multorum lectionem locorum immutaverit, ad extremum tamen largitur fieri posse, ut et Delphicae Minervae templum Graeci dixerint Ἀθηνᾶς Προνοίας, quod iidem, quatenus loci situm spectarent, nominaverint: Προναίας*). Unde intelligitur discriminis ple-

*) Confirmat hanc rationem Photius Lexic. mscr. s. v. vid. Acta liter. Lips. 1807. Nr. XIV. Pag. 221. — Nunc confer omnino quae disputavi in Symbol. et Mytholog. Part. III. p. 376. et p. 452 sqq.

num exsistere hac de re judicium, et, ni certiora proferantur, subsistendum in codicum testimonio. Προνοίᾳ quidem Minervae dicata templa fuisse apparet ex loco Cornuti de Natura Deor. (in Galei opuscul. mythol.) pag. 184. Ἡ δὲ Ἀθηνᾶ ἐστιν ἡ τοῦ Διὸς σύνεσις, ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ ἐν αὐτῷ προνοίᾳ, καθὸ καὶ Προνοίας Ἀθηνᾶς ἱδρύονται ναοί, ubi Galeus, securus discrepantis nominis, προνηΐης mentionem injicit locorumque cum Herodoti tum Pausaniae. Quod ibi addit Cornutus γενέσθαι δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς λέγεται, eam ipsam famam attingit et infringere studet Julianus imperator Oratione IV. pag. 149. ed. Spanh. loco insigni ad hanc rem dijudicandam, sed eodem partim ita lacunoso, ut sine manuscriptorum ope vix restitui videatur posse.

Caeterum Cornuti locus admonet alius confusionis vocabulorum σύνεσις et σύννευσις. Velut in Plotino, Enn. III. 8. 10. F. — οὐ τοίνυν οὐδὲ νοῦς. Ἔφεσις γὰρ καὶ ἐν τούτῳ καὶ σύνεσις πρὸς τὸ εἶδος αὐτοῦ. Confidenter lege σύννευσις, quod et sensus poscit, et confirmat liber Augustanus, nondum a quoquam antea collatus. Minervae Pronoeae mentio etiam fit apud Interpretem Graecum Hesiodi Theogon. vers. 319. ad verba — — βουλῇσιν Ἀθηναίης ἀγελείης, ubi ille ita: τῆς ἀθρούσης τὰ πάντα Προνοίας, καὶ ἀγούσης, καὶ διευθετούσης λίαν εὐξόχοις τὰ καθ' ἡμᾶς διευθετήσεσιν. Illud εὐξόχοις nihili est. Conjeci εὐστόχοις. Vides, quantopere iste homo delectetur repetita vocula εὖ; εὐστοχία praeterea ac νόησις saepius juncta leguntur. Aristoteles in Ethic. VI. Cap. 9. ἔστι δέ, ait, εὐστοχία τις ἡ ἀγχίνοια. Lenius tamen videtur, unâ literâ deletâ, legi: ἐξόχοις excellentibus, egregiis. In providentiae partibus ponitur etiam εὐδοκία benivolentia apud Suidam in πρόνοια. Illud vocabulum vix alibi reperias, quam in N. T. et in Veteris Testamenti interpretibus graecis.

CAPUT II.

Tractantur de Fato itemque de vicissitudine rerum insigniora quaedam per Heracliti reliquias librosque Stoicorum.

Notum est, vim omnia tenentis fati non solum a poëtis fuisse declaratam, quorum grandi carmine Atticorum theatra resonabant, sed nec minus apparuisse per historiarum monumenta rerum gestarum eventorumque vicissitudine, et vero etiam latissime patuisse per nobilissimorum effata philosophorum. Stoici praecipue ea in re confirmandâ illustrandâque elaborarunt. Qui quidem sicut alia multa ita universam fere physiologiam atque illud maxime de fato placitum duxerunt ab Heraclito*). Unde intelligitur, quicunque velit illius sententiae simplicissima initia cognoscere, prout ea primum sese excluserit quasi et paullatim creverit, ei faciendum esse, ut Heraclitea ipsa cognoscat.

Atqui cum hujus liber, qui nobilissimus erat, περὶ φύσεως injuriâ temporis perierit, eruenda ejus philosophi sententia est ex illius fragmentis, quae haud pauca**) per veterum libros disjecta servantur. Quae priusquam explicare instituas, necesse est colligantur undique, disponantur

---

*) Zenonem illum Citieum μετεσχηκέναι τῶν λόγων Ἡρακλειτείων testatur Eusebius Praeparat. Evangel. XV. pag. 729. et plurimi veterum loci confirmant. cf. v. c. Censorin. de die natali Cap. XVII. pag. 1. ubi Heracliteam sententiam de aetate humana in rem suam adhibuisse Zeno intelligitur. De universa Stoicorum physiologia ab Heraclito desumta memorabilis est locus Clementis Alexandrini Strom. V. pag. 712. Potter.

**) Sic verius pronuntiatum arbitror, quam ab Harlesio factum est, qui pauca tantum reliqua dicit Introd. in hist. ling. gr. I. pag. 255. Stephanus quidem in poësi philosophica credi vix potest quot qualiaque omiserit. Sed haec munitiora ponentur, ubi fortasse aliquando mihi contigerit, Heraclito eandem operam praestare, quam nuper Empedocli praestitit diligentissimus Sturzius. Ac nemo ignorat, quantopere antiquissima Ionicae philosophiae monumenta congruant historiarum, Hecataei, aliorum, primordiis, cum argumento, tum vero maxime prosae nascentis indole.

suo quaeque ordine et per sua genera, exiganturque ad criticam rationem. Neque enim quidquam proficias universe disputando, nisi prius ex ipsis monumentis certo cognoveris, quid sit illud quod tanquam vere Heracliteum possit poni. Hac quidem parte mirifice laborant eorum libri, quotquot adhuc historiam philosophiae explicuerunt. Atque in hoc philosopho singularibus difficultatibus se impediri sentiant necesse est ii, quicunque ad eum explicandum sua studia conferant, quoniam is, sicut in magnae Deae Ephesiae penetralibus scriptum illud suum reposuit, ita quoque ipsius intelligentiam latere voluit verborum translatorum symbolorumque involucris, quo ab ejus lectione arcerentur profani.

Quocirca haud inutilem operam navabimus, si nunc cum maxime seligamus quaedam ex Heracliteis, quae et conjunctiora sint cum Stoicorum placitis Ciceronisque locis nonnullis e libro de Deorum Naturâ itemque de Fato, et criticâ notatione videantur indigere. Ac quoniam obscuri sermonis injecta mentio est, ex hâc ipsa disputandi nascitur materies. Nolumus nunc ea recolere, quae vel alii monuerunt, quae plurima collegit Harlesii diligentia ad Fabricii Bibl. gr. I. pag. 781 seqq. vel ipsi explicatiora posuimus in eo libro, qui inscribitur Studien T. II. pag. 265.: in Cicerone Plotinoque subsistemus.

Cic. de N. D. I. 26. „Neque tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos: nec consulto dicis occulta: sed (quod inter nos liceat) ne tu quidem intelligis.“ Carpit Cotta Academicus Vellejum Epicureum et quidem urbane. Huc enim pertinet illud: quod inter nos liceat*). Sed hoc ipsum mireris eundem repente adeo urbanum esse factum, qui in universâ oratione, missâ honoris formulâ, non dubitarit adversarium suum gravius increpare et ignorantiae arguere. Neque tamen ulla adhuc hoc de loco dubitatio commota est, neque vel Davisii vel Ernestii codices quidquam discrepant a vulgata. At mei discrepant, iique universi: Parisienses tres, Norimbergensis A (nam in Cod.

*) Vide nos p. 118. ed. major. p. 48. minor.

B. hic locus omissus) et vero Uffenbachianus. Illi enim ita: quod inter nos liqueat, hic autem: quod inter vos liqueat, quam lectionem etiam Paris. A exhibet, sed a secundâ manu. Quae quidem ratio mihi haud parum commendatur suâ quadam elegantiâ et ironiâ, qua tantopere in his dialogis Cotta delectatur. Carpit enim confidentiam Epicureorum sua placita pro compertis certissimisque habentium. Quod vernacule sic efferas: „Unter Euch freilich ist dies ganz sonnenklar."

Lib. III. 14. „Sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes: quem ipsum non omnes interpretantur uno modo. Qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus."

Walkerus conjecit: quem quoniam, quod nullius libri fide confirmatur, refragatur etiam Ernestius et durum dicit. Recte, nec mei codices suffragantur.

Obscuritatem sermonis Heraclitei tangit et illud epigramma ap. Diogen. IX. 16. insertum quoque Anthologiae Graecae Tom. IV. pag. 226. ed. Jacobs

Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτε ἐπ' ὄμφαλον εἴλυε βίβλον
τὐφεσίε· μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός·
ὄρφνη καὶ σκότος ἐςὶν ἀλάμπετον· ἢν δέ σε μύςης
εἰσαγάγῃ, φανερᾶ λαμπρότερ' ἠελίε.

De lectione non est quod moneam post Jacobsii observata, qui tamen in eo fallitur, quod ex Hesychio Milesio pag. 21. εἴλεε profert, nam ibi legitur εἴλεε. De qua vi verbi, quatenus id de libris evolvendis dicitur, monuit Hemsterhusius, laudatus a Ruhnkenio ad Tim. pag. 71. Reliqua optime exposuit Jacobs ad h. l. Illud δύσβατος ἀτραπιτός (de libro) referri potest ad illud genus locorum, quos nuper congessit eruditissimus Heusde, Specimen in Platonem Pag. 130, ubi Platonis locus laudatur Polit. Pag. 258, in quo simili sensu ἀτραπός.

Caeterum, quod a prudentioribus tantum intelligi dicitur Heraclitus, commode in mentem revocatur illud Alcaei Messenii Epigramm. XXI. αἴνιγμα. φέγγος μὲν ξυνετοῖς, ἀξυνέτοις δ' ἔρεβος.

In ipso libri initio ἀξυνέτες homines reliquos dixerat

Heraclitus (vid. Aristotel. Rhetor. III. 5. 6., ubi hoc exordium commemoratur). Ipse contra dicebatur *αἰνικτής* a Timone Sillographo, vid. Diog. L. IX. 6. Hinc etiam *αἰνίττεσθαι* eum dicit, ejusque haud dissimiles orationis obscuritate philosophos Plotinus loco infra a nobis tractando.

Illuc pertinet Proclus in Platonis Timaeum Cap. 3. p. 106. infr. *ἀλλ' Ἡράκλειτος μὲν ἑαυτὸν πάντα εἰδέναι λέγων, πάντας τὰς ἄλλας ἀνεπιστήμονας ποιεῖ.* Confer et Meleagri Epigramma CXVIII. (Anthol. gr. Tom. I. Pag. 35*).)

Ὤνθρωπ', Ἡράκλειτος ἐγὼ σοφὰ μοῦνος ἀνευρὼν
φημὶ τάδ' ἐς πάτραν κρείσσονα καὶ σοφίης. κ. τ. λ.

„Heus tu: Heraclitus ego, qui solus sapientiam reperi, edico tibi.“ Reliqua quoad ejus fieri potuit in loco tam impedito expedire studuerunt interpretes (apud Jacobs. Tom. VI. p. 128 sqq.).

Atque hoc loco huic Commentationi meae finem impono, quoniam, quae deinde sequuntur omnia, emendata inserui Commentationibus, quas titulo Dionysus collectas in lucem edidi Heidelbergae 1809; et illa quidem tanquam Excursum ad Commentationem primam pag. 71—86.

---

*) Hos locos omnes laudavi ex hac Prolusione ad Cic. de N. D. III. 14. p. 540. ed. maj., quibus nunc adjicio quae posui ad Plotin. III. 6. 8. Vol. III. p. 180. ed. Oxon.

III.
SPECIMEN OBSERVATIONUM
EX PRISCIS SCRIPTORIBUS
AD NOVISSIMAM OPERUM
JOANNIS WINCKELMANNI
EDITIONEM*).

ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS
PRORECTOR
AUSPICATO CREATUS MAGISTRATUM RITE ADIT
SIMULQUE IS
QUI EODEM PROXIME FUNCTUS EST
VOTA PIA SOLVIT
D. IV. M. APRIL. MDCCCIX.

INEST
SPECIMEN OBSERVATIONUM
EX PRISCIS SCRIPTORIBUS
AD NOVISSIMAM OPERUM JOANNIS WINCKELMANNI
EDITIONEM.

Laudabili consilio instituta dudumque exspectata nuper prodiit Operum Joannis Winckelmanni editio. Cujus viri ingenio quantum debeat artium subtilior doctrina, cum in vulgus pateat, et ad nauseam usque vulgo decantetur:

*) Dresdae 1808 et sequentibus annis recensior in lucem prodiit ibidem 1830 et sqq. Nimirum sub hoc tempus Leidam me vocaverat Joannes de Meermann, maxime ad Archaeologiam docendam. Erat enim hic vir non solum doctissimus, verum etiam elegantiorum artium amantissimus et qui peregrinator totius fere Europae Musea ipse inspexerat. Ei ego ut voluntatem adprobarem, tunc cummaxime illud argumentum elegi; quâ commentatiunculâ quodammodo praelusi multo gravioribus Scriptis, quae hodie per universam paene Germaniam in Winckelmanni illius memoriam quotannis publicari solent.

putidus sit, qui denuo inculcare velit. Salubrius illi fecisse putandi sunt, qui, quod ipse ille facturus fuisset, nisi fata prohibuissent, vel explere studuerunt, vel emendare, si quid qua in parte deesse visum erat, aut minus recte praeceptum et quadam incuriâ fusum.

Quod cum ad singula viri quantivis opera pertineat: tamen in nullo eorum plura desiderantur ad praestantiam, quam in eo quod de Allegoriâ inscribitur. Hoc unicuique patebit, qui a ceterorum scriptorum lectione recens ad hoc accesserit, et pronuntiatum quoque in animadversionibus ad novissimam editionem est a Mayero. Nam sive doctrinae ubertatem spectes, quae in hoc argumento collocari utiliter poterat, sive disciplinae viam rationemque, in utravis ille hic quidem sui dissimilis reperitur. Quaecunque vero in quacunque parte desiderantur, ea ad duo potissimum genera revocari queunt.

Nam primum parum curasse videtur Winckelmannus, quod vel maxime fieri debebat, ut totum ejus loci spatium ambitumque quasi oculis collustraret, hoc est, ut universum illud argumentum, quâquâ patet, mentis cogitatione sibi penitus informaret, et in omnes ejus partes converteret intelligentiam, quo et apte disponerentur singula, neque quidquam quod caussam rei contineret, omitteretur. Deinde in singularum rerum tractatione, cum satis studiose fontes sectari videatur, tamen minus arcte, quam in aliis commentationibus, se applicuit ad solos veteres auctores, sed hinc inde a recentioribus pendere atque e rivulis haurire deprehenditur. Unde factum est, ut hoc opus cum ratione tum oratione minus etiam referat nativam illam simplicitatem antiquitatis venustatemque, sive illud εὐκινές, quo cetera hujus viri plurima tantopere placent. Quocirca, ut facile largior intelligentissimis horum operum editoribus, universe sibi cavendum fuisse, ne animadversionum farragine Winckelmanniana obruerent: ita in hoc quidem opere velim, aliquanto munificentius additum quod plurimum deesse reperitur, positumque munitius, quod justo firmamento destitutum pendet.

Nos igitur, quantum in nobis est, faciamus hoc, ut

vestigia legamus viri primarii; quo, si minus opipare, at pie tamen, fundamus illius Manibus parentalia. Atque cum ipse nonnumquam iniquior exstiterit in eos, qui grammatici dicuntur criticamque factitant, atque adeo in Ruhnkenium illum, proferamus exempla, unde constet, quantum commodi ad eum, quem dixi, locum de **Allegoriâ** e veterum tractatione scriptorum afferri queat.

Ac primum, licet conformatio universi operis spectanda potissimum sit: delibemus tamen, primitiarum instar, nonnulla e singularibus; quae qui *λεπτομερέστατα* persequi velit, ei justi nascatur argumentum voluminis.

Jam quod in loco de Mercurii insignibus, Tom. II. p. 499. antiquissimus ejus caduceus nonnisi scipio fuisse dicitur, hoc parum probabitur ei, qui priscas Cabirorum tesseras, quales in monumentis habentur, accuratius excusserit; atque ut largiar, aliquo tempore obtinuisse illud*): ita universe refragantur grammatici, qui angues additos diserte perhibent**). Nec magis placere possunt, quae p. 506. leguntur de Vulcani pileo, ad pileos artificum efficto. Quam in rem nunc repetere non attinet, quae priscorum scriptorum fide nuper monuimus. Quae porro p. 591. de lupo leguntur ad solis significationem accommodato, haec et ipsa parum satisfacient eis, qui cognorint quae plurima in eam rem commemorantur apud veteres. Hoc magis ab editore laudatam velimus egregiam **Zoegae** disputationem super hoc loco, in libro de **Obeliscis** p. 304 sqq. praesertim 307 seq. Quod praeterea Winckelmannus p. 614. dubitat, maritimam urbem delphini imagine significari: omnem dubitationem eximere poterat illud Medeae vaticinium de condendâ Cyrene, a **Pindaro**, luculento carmine, redditum Pythior. IV. 29 sqq., si quidem is locus recte explicetur. Ei jungendum est fragmentum geminum **Dionysii** ex Bassaricis, apud **Stephanum Byzantium** s. *Κασπειρ*.

---

*) **Zonarae** Lexicon s. *κηρύκειον*: *κηρύκιον δὲ πᾶσα ῥάβδος*. De scriptione vid. Tittmanni nota.

**) Scholiast. Thucyd. I. 53. Pollux VIII. 138. Etymol. Magn. in *κηρυκ*.

Atque, si hoc attineret, plurima id genus perstringi possent, breviter a me inter legendum consignata in adversariis. Potius aliquantisper immorabor ei loco, qui est de anima morteque et somno, ut innuam quidquid vel a Winckelmanno vel ab editoribus mutatum eidemque additum cupiam. Etenim, quod ille pag. 557. Platonem dicit primum omnium immortalitatem animorum scripto tradidisse: obloquitur diserte Cicero, qui Tuscul. I. 16. „Itaque, ait, credo equidem etiam alios tot saeculis; sed quod literis exstet, Pherecydes Syrius primum dixit animos esse hominum sempiternos.“ Nolo nunc quaerere, an is philosophus ita se applicuerit Aegyptiis, ut *μετεμψύχωσιν* potius doceret*), quam immortalitatem, nec magis excutere volo, quid barbarorum religio fortasse prior invenerit Graecorum philosophis: illud teneri volo, ex illâ certe sententiâ nihil effici posse ad ea monumenta artis, quae, quod subtiliter docuit Viscontius, perperam adhuc ad Platonem tracta fuerunt.

Pergit Winckelmannus l. l. animam igne purgatam declarari in urna sepulcrali Villae Matthaei per Amorem, qui papilionem faci ardenti admoveat. Quo in loco quaerere et dubitare saltim licet cum poëtâ Antholog. Graec. Tom. I. p. 39. Nr. CXXVIII. ed. Jacobsii**): *Πτανὲ* — —

Καὶ τίς ἐών, ϛάλας σύμβολον ἐσσὶ τίνος;
Οὐ γὰρ Ἔρωτ' ἐνέπω σε. τί γάρ; νεκύεσσι πάροικος
Ἵμερος; αἰάζειν ὁ θρασὺς ὀκ ἔμαθεν.

Et nota sunt quae hanc in rem disputavit Lessingius, in eo libro, qui inscribitur: Wie die Alten den Tod gebildet p. 11. Neque tamen hoc ita accipi velim, quasi in hoc me loco ad ejus viri auctoritatem adjungendum cen-

---

*) Sic enim accipiendus est locus Herodoteus de Aegyptiis II. 123. De barbarorum decretis locus classicus est Pausan. Messen. Cap. 32. §. 4. ad quem cf. Casauboniana p. 13. ibique laudatus Palladius de Brachmanibus, adde p. 219. Rationes autem illius sententiae Platonem primum adtulisse, ejusdem Ciceronis fide l. l. cap. 17. constat.

**) Quem vide ad h. l. cf. Huschkii Analecta Critic. p. 36 seq., qui et alia docte explicavit, et vero etiam *Ἵμερον νεκύεσσι πάροικον*.

seam: solummodo, quod positum est, id ipsum firmatum voluerim certâ scriptorum veterum auctoritate. Quod praeterea additur, purgationem animarum illâ imagine innui, igne perpetratam: hujus doctrinae*) auctor laudandus erat Plato, unde acceptam ornavit Virgilius Aeneid. VI. 744:

Quisque suos patimur Manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem.

Sed tamen, quam imaginem h. l. ad animarum vicissitudines refert Winckelmannus, recte, si in sepulchro positum cogites, eadem alibi ad amoris quoque cruciatum pingendum accommodatur, velut a Meleagro luculento epigrammate**):

Οὔ σοι ταῦτ' ἐβόων, ψυχή. Ναὶ Κύπριν ἁλώσει
Ὦ δύσερως, ἰξῷ πυκνὰ προσιπταμένη;
Οὐκ ἐβόων; εἷλέν σε πάγη. τί μάτην ἐνὶ δεσμοῖς
Σπαίρεις; αὐτὸς Ἔρως τὰ πτερά σου δέδεκε
Καί σ' ἐπὶ πῦρ ἔστησε, μύροις δ' ἔῤῥαινε λιπόπνουν,
Δῶκε δὲ διψώσῃ δάκρυα θερμὰ πιεῖν.

Atque hoc loco alterins carminis initium ponendum esse probabiliter suspicatur Huschkius Analect. crit. p. 43. Qua de re nunc non magis quaerimus, quam de reliquis versibus: illud volo intelligi, ab ipso quoque Platone profectam doctrinam de anima et alata***) et Amoris conjun-

---

*) Cujus sedem et primordia docte, ut assolet, monstravit ad Plutarch. de S. N. V. Wyttenbachius vir summus p. 112. cf. Heynium ad Virgil. l. l.

**) Quod primus edidit Ruhnkenius ad Tim. p. 249. ed. alter. et egregie emendavit; nunc idem insertum habetur Antholog. gr. Tom. I. p. 19. Nr. LVIII.

***) Cumque Graecorum sermone *ψυχαὶ* etiam appellarentur papiliones, animas humanas, constat, vel papilionum alis instructas vel ipsa adeo papilionum specie passim effingi, praecipue in gemmis. De illa appellatione primarius est locus Aristotelis Hist. Anim. V. 19. Cui jungendus Plutarchus Sympos. II. 3. p. 579. ed. Wyttenbachii. Qui quidem recte ibidem tuetur *ψυχήν*. Quae lectio nunc etiam firmari potest loco gemino Lydi de mensibus p. 123., qui to-

ctione potestateque misere affectâ. Quae ratio mirifice deinceps variata ad Appulejum usque, a recentioribus cum ad poësin accommodata est, tum ad artis quamplurima opera, cf. Doeringii comment. de alatis imaginibus apud veteres pag. 32 seqq. Platonis autem loci primarii leguntur in Phaedro p. 247 seqq. 268 seqq. ed. Heindorf. et in Symposio cap. XXIII. p. 74. Wolf. Quem quidem locum cum praeter Huschkium l. l. nuper et Heusdius, vir doctissimus, tractarit in specim. crit. in Platon. p. 65. et vero etiam Boekhius noster de Platon. Minoe et Legg. p. 128., ne ego ab hoc convivio plane ἀσύμβολος discedam, primum attendi velim, quam longe distet hic Platonis Ἵμερος cap. XXI., qui Ἔρωτος filius dicatur, ab Ἱμέρῳ Meleagri l. l. Notum vero est, jam antiquitus seorsum exhibitos esse a Scopâ Ἔρωτα, Ἵμερον et Πόθον, auctore Pausaniâ I. p. 167. Fac. Deinde illam Platonis fabulam de Πόρῳ et Πενίᾳ in suam rem adhibuit Plotinus Ennead. III. 5. 2., ita ut ad penitiorem hujus rei sententiam nonnihil inde profici queat. Ei autem abstergenda levis macula est, ut emendetur Πόρȣ pro Πόρȣς.

Illuc redeo. Monstravit Mayerus p. 708., Viscontium secutus, „parum sibi constare Winckelmannum, quod in Monumentis ineditis papilionum alas, additas virili capiti, rursus ad Platonis personam referret, quae potius accipiendae essent de significatione somni." Hujus autem rei ratio repetenda est e notione levitatis, quandoquidem anima, libera a contagione corporis, neque retenta terrenae faecis pondere, sursum fertur; quod ipsum quodammodo per somni quietem effici creditum est. Hinc Somnus tanquam animarum σωτὴρ celebratur, et poëta Hymn. Orphic. LXXXV. (84.) sic eum alloquitur:

σώματα δεσμεύων ἐν ἀχαλκεύτοισι πέδῃσιν,
λυσιμέριμνε, κόπων ἡδεῖαν ἔχων ἀνάπαυσιν,

ties Plutarchea scrinia compilavit, ex quo, reliquis omissis, haec subjicere placuit: ψυχὴν δὲ πȣ τὸν τοιȣ̃τον σκώληκα καλεῖσθαι συμβαίνειν. Caeterum notum est, Amorem cum Psyche variari in Gemmis. Harum unam nuper humanissime nobiscum communicavit Münterus V. C. in qua uterque navigio vectus exhibetur.

καὶ πάσης λύπης ἱερὸν παραμύθιον ἔρδων·
καὶ θανάτε μελέτην ἐπάγεις, ψυχὰς διασώζων·
αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς Λήθης Θανάτε τε.

Alia omnia Heraclitus, qui tamen germanus Orphicus judicabatur: Sextus Empiric. adv. Math. VII. §. 129, p. 398. Fabric.: τῦτον δὴ τὸν θεῖον λόγον καθ' Ἡράκλειτον δι' ἀναπνοῆς σπάσαντες νοεροὶ γινόμεθα, καὶ ἐν μὲν ὕπνοις ληθαῖοι, κατὰ δὲ ἔγερσιν πάλιν ἔμφρονες. Quid quaeris? Ex isto Orpheo, qualis quidem haberi vult, Platonicus enascitur: Platon. Phaedon. p. 379. G.: τὸ μελέτημα αὐτὸ τῦτο ἐςι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος. cf. p. 386. Theodoretus Ther. VIII. p. 118. Πλάτων τὴν φιλοσοφίαν θανάτε μελέτην ἐκάλεσεν. Cic. Tuscul. I. 30: „Tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est,“ ubi plura suppeditat Davisius. Ac ne dubites, vestitu Orphei personam mentiri hominem Platonicum: hac ipsa Platonicorum pannorum specie manifestius etiam deprehenditur, proximo carmine LXXXVI. (85.), ad Somnium*):

Κικλήσκω σε, μάκαρ, τανυσίπτερε οὖλε Ὄνειρε.
ἄγγελε μελλόντων, θνητοῖς χρησμῳδὲ μέγιςε.
ἡσυχίῃ γὰρ ὕπνε γλυκερῦ σιγηλὸς ἐπελθὼν
προσφωνῶν**) ψυχαῖς θνητῶν, νόον αὐτὸς ἐγείρεις
καὶ γνώμας μακάρων αὐτὸς καθ' ὕπνυς ὑποπέμπεις,
σιγῶν σιγώσαις ψυχαῖς μέλλοντα προφαίνων.

Vides, ab Orpheo, si diis placet, diserte distingui νῦν animum et ψυχήν. Quod Platonici fecerunt et Pythagorici***).

*) Cf. nunc Symbol. et Mythol. m. III. p. 56 sq. ed. tert.

**) Lennep. ad Coluth. p. 140. recte reposuit προφαίνων e sequentibus, et VII. 22. Equidem h. l. malui cum codicibus facere, quibus favet illud ἄγγελε vers. 2. et παραμύθιον Hym. LXXXV. 6. cf. Zonarae Lexicon p. 1588: προσφωνεῖ. προσαγορεύει, adde p. 1538: προσφώνησις. κήρυξις. Quod vero haec locutio προσφωνεῖν ψύχαις probatorum scriptorum testimonio destituitur: id ipsum quoque arguere videtur, sero effictum hunc hymnum esse.

***) Vid. Wyttenbachium ad Plutarch. de S. N. V. p. 124., qui locos in hanc rem primarios excitans, hanc doctrinam illustravit.

Ne vero ambigas, Platonem ab hoc Orphico lectitatum esse: Tu apud illum ipsum legito, quam potestatem somnus habeat ad animum a concreti corporis vinculis liberandum. Locus autem est in Timaeo pag. 543. (390 seqq. Bip.) In illis porro, quae versu sexto sequuntur:

σιγῶν σιγώσαις ψυχαῖς μέλλοντα προφαίνων

rursus Platonicum agnosces. Color enim denuo ductus est ex Platonis Timaeo p. 316., ubi ratio effectrix sine sono strepituque operatur: *λόγος δὲ ὁ κατὰ ταυτὸν ἀληθὴς γιγνόμενος ὑφ' αὑτῦ φερόμενος ἄνευ φθόγγυ καὶ ἠχῆς — εἰς πᾶσαν αὑτῦ τὴν ψυχὴν διαγγέλλῃ κ. τ. λ.* Nisi forte malueris haec ex ipso etiam Plotino manasse, qui hoc silentium varie ornavit, ut Ennead. III. 8. 3.; Enn. V. 8. 11. et passim.

Atque hic ipse locus de Somno et Morte pro exemplo esse potest, Winckelmannum suum argumentum non ad universam aliquam rationem revocasse, unde singula repeteret, sed satis habuisse singularia persequi, quo consuleret commodis artificum. Nam ut taceamus, quod jam Lessingius notavit: explicata ab illo esse sola genera mortis, non mortem ipsam, quatenus ea tesseris declararetur: ita ille priscae artis rudiorisque allegoriam prorsus fere praetermisit. Unde consequens est, uti parum constet, quid ex hoc universo genere reconditioribus sacris inservierit quidve prolatum sit in lucem accommodatumque ad vitae varias partes exhilarandas ornandasque. Sic, ut hoc utar, in hoc ipso capite tertio p. 562 seq. aegre desideravimus illa apud Pausaniam Eliac. p. 18. init. de priscis Somni Mortisque imaginibus, obviis in Cypseli arcâ: *Πεποίηται δὲ γυνὴ παῖδα λευκὸν καθεύδοντα ἀνέχυσα τῇ δεξιᾷ χειρί, τῇ δὲ ἑτέρᾳ μέλανα ἔχει παῖδα καθεύδοντι ἐοικότα, ἀμφοτέρυς διεςραμμένυς τὺς πόδας. δηλοῖ μὲν δὴ καὶ τὰ ἐπιγράμματα, συνεῖναι δὲ καὶ ἄνευ τῶν ἐπιγραμμάτων ἐςί, Θάνατόν τε εἶναι σφᾶς καὶ Ὕπνον, καὶ ἀμφοτέροις Νύκτα αὐτοῖς τροφόν.* Quem locum quum dudum expediisset Heynius*),

*) In libro, qui inscribitur: Ueber den Kasten des Cypselus rel. pag. 24 seq.

cum doceret, pedes distortos, sive varos cogitandos esse, quibus olim imbecillitas declararetur: Facium, miror, in notis ad h. l. haec scribere potuisse: „Suspicabar quidem, nil nisi vitium ab artifice in pedibus effingendis admissum a Pausania, accurate, quod viderat, describente, hic memoratum esse; sed hoc affirmare, forte nimis temerarium esset.“ At vero ne dubitatio quidem ulla relinquetur ei, qui secum cogitaverit, illud ipsum de universo quodam eoque vetustissimo deorum genere perhiberi, ut vel claudi fuerint vel valgi, velut de Harpocrate, de Vulcano, nec minus de ipso etiam Jove. Quod nuper explicatius posui in Dionyso, p. 140 seq. 178. 244. Felicius itaque grammaticae rationi se applicuit Viscontius*), qui vindicatâ verâ vi vocis διαςρέφειν, Lessingii Herderique commenta funditus evertit.

Ad eandem classem symbolorum referri potest Pygmaeorum species, quos constat a Jablonskio in Pantheo Aegypt. II. p. 175. pro illis pueris habitos esse sedecim numero, quibus Aegyptii incrementa Nili declararent, firmante eam explicationem Forstero in Symbolis Hassiacis, part. I. Illam vero rem attigit etiam Winckelmannus p. 550. Atque eam fabulam, varie ornatam ab Homero usque (vid. Heynii Observv. ad. Iliad. III. 6. pag. 449.), tradiderat etiam Hecataeus: Eustath. ad Iliad. III. 6. p. 281. Basil. Ἱςορεῖται δὲ καὶ ὅτι κέρατα παρατίθενται, καὶ ἐν σχήματι κριῶν, ὥς Ἑκαταῖός φησι, κρόταλα ψοφȣσι καὶ ὅτω τὰς Πυγμαιομάχȣς γεράνȣς ἀμύνονται καταφρονȣσας ἄλλως τȣ μήκȣς. Idem auctor laudatur in Schol. Venet. A. B. L. pag. 87. Villoisoni, ubi legitur ἐπὶ σχημάτων κριῶν κ. τ. λ. Scholion autem ineditum Cod. Lips. ad h. l.**) ita: φησὶ δὲ Ἑκαταῖος μετασχημάτων κριῶν τȣς Πυγμαίȣς ἐξερχομένȣς πολεμεῖν αὐταῖς κ. τ. λ. Vides, variari tantum in praepositionibus et numero, neque igitur esse, cur gravius vulnus latere suspiceris***);

*) In Museo Pio-Clementino. Tom. III. p. 59 seq.

**) Quod mecum humanissime communicavit Hermannus V. C.

***) Quo forte Plinius aliquem adducat, qui H. N. VII. 2. „Fama est, inquit, insidentes (Pygmaeos) arietum caprarumque

et Scholion Lips. ad Eustathii locum facile refingi potest, ut scribas μετὰ σχήματος κριῶν κ. τ. λ. Quod positum sit pro Dativo instrumenti, cf. Kypkius in Matth. 27, 66. Sic nonnumquam Latini, ut Plautus Amphitr. Prolog. vers. 117:

Quod ego huc processi sic cum servili schemâ.

Verum haec obiter, et reliqua ejus fragmenti a me recolentur ad Hecataei Geographica. Nunc ad cornua attendi velim, addita Pygmaeorum capitibus. Quae res et ipsa latius patet, videlicet per universum aliquod priscorum deorum genus. Sic, ut hoc utar, Jovem Ammonem, qui rotundâ figurâ deformis erat antiquitus, referente Curtio IV. 7. 27., arietis cornua gessisse notissimum est; sic Bacchus et ipse nonnunquam exhibetur in numismatibus*). Cornua vero alia frequentantur in iis numinibus, quae proprie fertilitatis notionem declarant**).

Sed quod supra monui, in universâ ejus operis informatione desiderari plurimum: eo jam a me revocanda disputatio est. Quod cujusmodi sit, continuo ex ipsâ rei explicandae definitione cognoscitur; quae quidem sic concepta est cap. 1. init. pag. 440: „Allegoria est, rem si latissime acceperis, notionum significatio, quae fit per imagines, adeoque universalis quaedam oratio, praesertim artificum, quibus hoc ipsum scriptum volo.“ Licet enim quaerere, quid sit hoc allegoricum genus, si non late definiatur, sed certis circumscribatur finibus. Atque si hoc agebatur, ut definiendi legibus usquequaque satis fieret:

---

dorsis armatos sagittis, veris tempore universo agmine ad mare descendere, rel., ut suspiceris ἐπὶ χιμαιρῶν καὶ κριῶν; aut ipse Eustathius, qui l. l. in sequentibus ita: οἱ μικροὶ ἄνδρες οἳ ταῖς γεράνοις διαπολεμοῦντες πέρδιξιν ὀχήματι χρῶνται, ut in Scholiis legendum conjicias: ἐπ' ὀχήματος κριῶν.

*) Spanhem. de U. et P. N. T. II. p. 399.

**) Vid. v. c. Winckelmanni Descript. Mus. Stosch. p. 27. Nr. 118.

haudquaquam sufficiebat, ut explicaretur quod intercederet discriminis allegoriam inter et symbolum atque illud inter, quod hodieque emblematis nomine venit. Quod quidem discrimen in luce collocatum voluit Mayerus in notis ad h. l. pag. 675. Potius complectenda erant hac ipsa investigatione singula, quaecunque quocunque nomine in hoc universum genus cadunt, ut *εἰκών*, *μεταφορά*, *παράδειγμα*, *παραβολή*, *σύμβολον*, *ὑπόνοια* (*ἀλληγορία*), *αἶνος*, *γρῖφος*, *αἴνιγμα* et id genus plurima alia. Itaque effectum foret, ut non ea solum in luce ponerentur, quae verbis concepta per loquelam efferuntur, verum etiam illa penitius cognoscerentur, quae ad oculorum sensum accommodata in plurimarum artium ambitum cadunt.

Sed, ut discedamus a definitionum terminis, facileque hoc largiamur summo viro, ad artes feliciter factitandas efficaciorem esse vim exemplorum quam subtilitatem definiendi: tamen hoc ipsum, quod ille spectabat, ut artifices quasi manu duceret ad intelligentiam, id ipsum igitur certius consequi potuisset, si ubique profectus esset a simplicissimis initiis.

Quod si quaeris, quid sit illud a simplicissimis initiis procedere: nemo quisquam magis ipso Winckelmanno sensisse putandus est: quantum hac in caussâ antiquitati tribuendum sit, cum ille identidem praeciperet, vindicandam eam rem esse a commentis ludibriisque recentiorum uniceque revocandam ad nativum illud et simplex, quod in vetustis Graecorum Romanorumque monumentis inest. Feliciter idem veterum artificum scriptorumque mentem exprimere judicandus est eo, quod jubet perspicue simpliciterque et suaviter efferri quidquid allegorice exhibeatur. Nemo enim infitiabitur, his ipsis virtutibus simplicitatis, perspicuitatis suavitatisque totius disciplinae summam contineri. Neque vero hac laude fraudandus ille est, abstersisse eum illi scientiae haud paucas sordes, quibus eandem infecerant Pierii Valeriani, Ripae similiumque hominum ineptiae. Verum tamen ab eo viro aliquanto plura postulari poterant, in his primarium illud, ut e limpidissimis fontibus antiquitatis quam plurimum re-

peteret, et quasi uberiore quodam salubrique succo et rationem et orationem aleret. Nunc ille hinc inde in summâ exilitate reperitur, quae a ceterorum ejus librorum ubertate et copiâ permultum discrepat. Quodsi hoc in argumento aeque constanter, atque in ceteris, tenuisset eam viam, quam antiqui illi artium doctores praeierant: utrinque caveri potuisset, ut et multa verius traderet, neque omitteret quae ad caussam facere viderentur.

Utriusque autem rei plurima exempla suppeditat exordium. Sic, ut inde proficiscar, cum Winckelmannus recte posuisset p. 440., sero demum increbruisse ἀλληγορίας vocabulum, addere debebat, vetustiores dixisse ὑπόνοιαν, quandoquidem ex utravis voce recte investigandâ permultum ad ipsam rei penitiorem intelligentiam profici potest*). Illud luculenter docent locupletes auctores, quorum testimonia excitavit Ruhnkenius ad Timaei Lexicon Platonicum p. 200. Illo autem vocabulo cum et Heraclides Allegoriarum Homericarum scriptor usus sit, et Demetrius, qui de elocutione commentatus est, hoc solo argumento satis constat, eos posteriore certe, quam vulgo creditum, aevo vixisse. vid. Ruhnkenium l. l. et Schneideri not. ad Demetr. p. 177. Magis etiam notanda est Winckelmanni observatio de vi vocis ὑπογράφειν p. 448. Agit ibi ille de antiquissimâ doctrinâ priscorum sapientum, qui quidem nihil eorum quaecunque mentis cogitatione informassent plane eloquerentur, sed, quaecunque in hominum notitiam proderent, innuerent tantummodo sacris tesseris, sive hieroglyphis, secuti Aegyptiorum consuetudinem. Hactenus recte. Quod vero continuo subjicitur, hoc doctrinae genus exprimi vocabulo ὑπογράφειν: alia omnia Casaubonus, qui hujus observationis auctor laudatur. Etenim hic in animadverss. ad Strabon. lib. I. p. 67. Almel. Polybii, Strabonis Diodorique et Suidae exemplis docet, quid sit illud ὑπαγορεύειν s. ὑπογράφειν et καταγράφειν ἐλπίδας. Casaubono

*) Ad haec et sequentia nunc comparanda sunt quae disputavi in Symbol. et Mythol. I. p. 79. IV. p. 539 sqq. p. 593 sqq.

autem jungendus est Wesselingius ad Diodor. Sic. XIX. 46. 15. Quod ipsum παρόραμα cum jam notarit vir doctus in Nova Bibliotheca literar. elegant. Lips. tom. III. part. I. p. 224., neque tamen ostenderit, quomodo ipsi veteres antiquissimam illam doctrinam allegoricam appellaverint: equidem in eam rem nonnulla proferam.

Ac primum, qui cum fructu velit in ea caussâ versari: is attendat, necesse est, ad antiquissimorum poëtarum usum, cum literae aut rarae essent aut nullae omnino. Quorum cohortem Homerus ducit, cujus illustris locus est Iliad. VI. 168. de Proeto et Bellerophonte*):

πέμπε δέ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρά,
γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ, θυμοφθόρα πολλά.
δεῖξαι δ' ἠνώγει ᾧ πενθερῷ, ὄφρ' ἀπόλοιτο.

Quo in loco unicuique patet quo sensu dicatur δεικνύναι; quae ipsa tamen vox ab antiquissimis deinceps poëtis ponitur pro docere, priscique usus admonet, quo, quae docenda essent, ea monstrarentur per tesseras, s. symbola: Odyss. X. 302 seq.

Ὣς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης
ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν.

Hac ipsa observatione ducti egregii duumviri Valckenarius et Ruhnkenius, ille quidem in Euripidis Phoeniss. 533. legendum esse docuit**):

— — ἀλλ' ἡ 'μπειρία
Ἔχει τι δεῖξαι τῶν νέων σοφώτερον,

cum in vulgatis scriptum esset λέξαι; hic autem in Homeri hymno in Cerer. 479. praeferendam judicavit Pausaniae lectionem:

— Ἡ δὲ κιοῦσα θεμιστοπόλοις βασιλεῦσι
Δεῖξε, Τριπτολέμῳ τε, Διοκλεῖ τε πληξίππῳ
Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ', ἡγήτορι λαῶν,
Δρησμοσύνην θ' ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια καλά.

*) In quem conferenda sunt quae disputavit Wolfius Prolegg. ad Homer. p. LXXIII seqq., et p. XLV. de voce γράφειν et similibus.

**) Vid. Valckenarii nota ad h. l. cui Adr. Heringae probatur judicium, adde Ruhnken. Homeri Hymn. in Cer. loco proxime laud.

Qui locus primarius est de hujus vocabuli usu in sacrorum etiam reconditiorum doctrinâ. Inde manavit illud monstrare a Latinis poëtis simili sententiâ usurpatum, ut a Statio Achill. I. 118.

Aut monstrare lyrâ veteres Heroas alumno.

Ex eodem genere est vox *φαίνειν* indeque ductae, quae gemino prorsus sensu dicuntur. Sic, ut hoc utar, leguntur haec in Marmoribus Oxoniensibus p. 23:

*Εὔμολπος ὁ Μυσαίυ τὰ μυςήρια ἀνέφηνεν ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ τὰς τῦ πατρὸς Μυσαίυ ποιήσεις ἐξέθηκεν**).
Simplici autem vocabulo, cum composito, et alio simili, utitur Herodotus II. 49. loco classico, quem subjiciendum censui: *Ἤδη ὦν δοκέει μοι Μελάμπυς ὁ Ἀμυθέωνος τῆς θυσίης ταύτης ὐκ εἶναι ἀδαής, ἀλλ' ἔμπειρος. Ἕλλησι γὰρ δὴ Μελάμπυς ἐςὶ ὁ ἐξηγησάμενος τῦ Διονύσυ τό τε ὔνομα καὶ τὴν θυσίην, καὶ τὴν πομπὴν τῦ φαλλῦ. ἀτρεκέως μὲν ὐ πάντα συλλαβὼν τὸν λόγον ἔφηνεν· ἀλλ' οἱ ἐπιγενόμενοι τύτῳ σοφιςαὶ μεζόνως ἐξέφηναν· τὸν δ' ὦν φαλλὸν τὸν τῷ Διονύσῳ πεμπόμενον Μελάμπυς ἐςὶ ὁ κατηγησάμενος.* Habes antiquissimi scriptoris de prisco vate testimonium, intelligisque, variari haec verba, quae insignius rescribi jussimus, ita ut singula de sacrâ vatis doctrinâ dicantur, quo sensu supra *δεικνύναι* dictum legimus, quo item *ἀναφαίνειν* usurpat Aristophanes in Avib. 774.**) et ipse Homerus de Calchante canit, —

— *Δαναοῖσι θεοπροπίας ἀναφαίνεις.*

Illud autem *κατηγήσασθαι* Herodoti est proprie praeeundo indicare, hinc omnino monstrare. cf. VI. 136. VII. 183. ad quem locum hujus verbi vim explicuit Wesselingius. Gemino fere usu ab eodem Herodoto dicitur et *περιηγεῖσθαι* et *ἐξηγεῖσθαι*. Atque illud quidem distinguendum est a *περιηγεῖν*, quod de pictoribus dicitur, cum *περιηγεῖσθαι* dicantur qui peregrinis ostendant, quae per urbes memorabilia videantur, iisque accurate descri-

---

*) Vid. Mitscherlichius ad Homeri hymn. in Cer. p. 225.; ubi etiam de usu Latinorum poëtarum.

**) Ubi vid. Beckius V. C. Homeri locus est Iliad. I. 87.

bant*). Et hac ipsa cum describendi tum docendi vi his formis arctissime copulatur altera forma: ἐξηγεῖσθαι, de qua monendi nobis otium fecit egregia illa Hemsterhusii et Ruhnkenii disputatio ad Timaei Lex. Platon. pag. 111. Hinc enim appellati ἐξηγηταὶ et ii, qui memorabilia monstrarent peregrinis, hactenusque etiam περιηγηταί, et rituum sacrorumque et oraculorum interpretes, et vero etiam interpretes legum jurisque civilis. Denique usurpatum constat de priscorum sapientum doctrina, praesertim quae involucris lateret, illud αἰνίττεσθαι et illi ipsi vel vates vel philosophi nonnumquam dicti αἰνικταί, vid. Diogen. Laërt. lib. IX. sect. 6. Nec minus hoc quidem sensu dicitur σημαίνειν; ut in illo Heracliteo**) ap. Plutarch.: ὡς ὁ ἄναξ, οὗ τὸ μαντεῖόν ἐστι τὸ ἐν Δελφοῖς, οὔτε λέγει, οὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει.

His porro vocabulis, quibus prisca disciplina eaque allegorica declaratur, respondent alia, quae rerum conspectarum traditarumve vel intelligentiam vel conjecturam significant. Quo praecipue pertinet εἰκάζειν et συμβάλλεσθαι. Utrumque junctum eodem capite legitur apud Herodotum I. 68. (cf. IV. 111.) Illud quidem praesertim illi facere dicuntur, qui αἰνιγματωδῶς, sive ἀσαφῆ, mentis agitatione assequi student, vid. Heraclid. Allegor. Homeric. p. 84. Schow. ubi: ἀσαφῆ καὶ διὰ συμβόλων εἰκάζεσθαι δυνάμενα κ. τ. λ. Hinc proprie εἰκάζειν de conjectoribus et portentorum interpretibus***), deinde opponitur certae scientiae; qua de re nuper laudavi locum Plotini Ennead. IV. 8. 1. Συμβάλλεσθαι idem dicuntur,

---

*) Quo sensu definire dixit Tacitus Annal. VI. 28. de Phoenice ave (qua in re Herodotus II. 68. περιήγησιν dixit), cf. Biblioth. Crit. Amstel. Vol. II. part. II. p. 65., adde Oberlini not. ad Tacit. 1. 1.

**) De Pyth. Oraculis pag. 657. cf. de anim. generat. in Tim. p. 177. Wyttenb. Notum est autem, sententias, quae et brevitate et gravitate animos commoverent, antiquitus a diis repeti solitas fuisse, cf. Mureti Scholia in Senecam tom. III. p. 24. ed. Ruhnken.

***) Valckenarius ad Herodot. I. 84. cf. Ruhnken. ad Tim. p. 95.

qui conjectant quidquid occulte significatum sit: atque sic constanter Herodotus: numquam *συμβάλλειν*, quem Galei errorem Jacobus Gronovius notavit in animadversionibus ad Herodotum p. 64*). Qui quidem scriptor eam vocem potissimum frequentat. Cujus usus exemplorum affatim suppeditat Aem. Portus in Lexico Jonico s. v. vid. praecipue VI. 63. et 108. init. Inde, qui oraculorum abdita responsa conjiciendo assequi student, *συμβάλλεσθαι* dicuntur, ut apud Pausaniam in Messeniacis: *οἱ μάντεις ἀπείρως εἶχον συμβάλλεσθαι τὸ εἰρημένον*. Sicut is, qui de oraculi sententiâ probabiliter conjicit, *συμφρονεῖν* dicitur, quod est apud Plutarchum in vita Themistoclis.

Ex his, quae adhuc delibavimus, jam planius intelligetur, quid sibi velint illa, quae de priscae doctrinae vi ac natura referunt scriptores. Horum e numero paucos admodum excitabimus; neque enim vacat nunc haec uberius persequi. Ac primum mirari subit, praetermissum esse a Winckelmanno locum classicum Pausaniae, hoc est ejus scriptoris, quo nemo plura antiquae artis monumenta explicavit. Est autem in illius Arcadicis, cap. VIII. sect. 2: *Ἑλλήνων τὸς νομιζομένες σοφὸς δι᾽ αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ ὀκὶ ἐκ τε̃ εὐθέως λέγειν τὸς λόγες, καὶ τὰ εἰρημένα ὂν ἐς τὸν Κρόνον σοφίαν εἶναί τινα εἴκαζον Ἑλλήνων*. Jam per se patet unicuique, quo sensu inter se opponatur h. l. *δι᾽ αἰνιγμάτων λέγειν* et *λέγειν ἐκ τε̃ εὐθέως*. Ad eandem mentem Jamblichus de Pythagorâ

---

*) Simul docens, *συλλαμβάνειν* saepissime per veterum scripta cum illo esse confusum. Hoc quidem esse percipere ea quoque, quae ad communem intelligentiam pateant. Caeterum apud alios scriptores eodem sensu legitur *συμβάλλειν*, quo *συμβάλλεσθαι* de oraculis, somniis reliq. dixit Herodotus, ut apud Platonem in Cratylo *εἰ ὂν πη ἔχεις συμβαλεῖν τὴν Κρατύλε μαντείαν, ἡδέως ἂν ἀκέσαιμι*. Quod ego respicere arbitror Photium in Lex. gr. p. 404. *συμβαλεῖν, νοῆσαι, διακρῖναι, συγκρῖναι*. Herodotum autem secutus est Dionysius Halicarn. de Compos. verb. cap. XVI. in illo *συμβαλλόμενος εὑρήσεις*; ubi Herodotea non neglexit doctissimus Schaeferus p. 199.

ita cap. 23. init. pag. 86. Kuster.*) *Ἀναγκαιότατος δὲ παρ' αὐτῷ τρόπος διδασκαλίας ὑπῆρχε καὶ ὁ διὰ συμβόλων. ὁ γὰρ χαρακτὴρ ὗτος καὶ παρ' Ἕλλησι σχεδὸν ἅπασιν, ἅτε παλαιότερος ὢν, ἐσπυδάζετο. ἐξαιρέτως δὲ παρ' Αἰγυπτίοις ποικιλώτατα ἐπρεσβεύετο.* Nemo vero quisquam prisca docendi genera accuratius descripsit, quam Proclus in Platonis Theolog. lib. I. cap. 4. p. 9. Cujus loci insigniora subjiciam: *Οἱ μὲν γὰρ δι' ἐνδείξεως περὶ τῶν θείων λέγοντες, ἢ συμβολικῶς, καὶ μυθικῶς, ἢ δι' εἰκόνων λέγυσιν. οἱ δὲ ἀπαρακαλύπτως τὰς ἑαυτῶν διανοήσεις ἀπαγγέλλοντες, οἱ μὲν κατ' ἐπιςήμην. οἱ δὲ κατὰ τὴν ἐκ θεῶν ἐπίπνοιαν ποιῦνται τὺς λόγυς. κ. τ. λ.* Vides h. l. duo genera universae priscorum doctrinae facere Proclum, quorum alterum est *δι' ἐνδείξεως*, alterum *ἀπαρακάλυπτον*. Illi quidem, tamquam formae, subjiciuntur *τὸ συμβολικόν*, *τὸ μυθικὸν* et *τὸ εἰκονικόν*: huic: ea doctrina, quae *κατ' ἐπιςήμην* traditur, et ea, quae per *ἐπίπνοιαν*. Longum est haec sigillatim persequi**). Itaque pauca tantum addam. Ac quid sibi velit illud *δι' ἐνδείξεως*, nemini obscurum est, qui legerit quae supra de voce *δεικνύναι* monuimus; pertinetque igitur haec *ἔνδειξις* ad doctrinam, hoc quidem loco, rerum sacrarum, distinguendaque est ab *ἐπιδείξει*, quae est ostensio publicaque dictio orationis fictae, quales erant declamationes sophistarum. Nec minus distinguenda *ἔνδειξις* est ab *ἀποδείξει*, sive a demonstratione, vid. Wyttenbachium ad Herodot. I. 1. in Selectis Historicor. has duas voces optime explicantem. Quod addit Proclus alios *ἀπαρακαλύπτως* tradidisse theologica, huic ipsi rationi *τὸ ἐν τοῖς παραπετάσμασι λέγειν* opponit Simplicius praefat. in Aristotel. categor. sect. X seq., eo in loco, qui est de

---

*) Cui loco jungendus Porphyr. de vit. Pythagor. p. 41. Kuster.

**) Ita, ut hoc utar, Proclus l. l. Orphicum dicit esse: *διὰ τῶν συμβόλων τὰ θεῖα μηνύειν*, Pythagoricum: *διὰ τῶν εἰκόνων*. Porphyrius autem de vit. Pythagorae huic philosopho attribuit *τὸ συμβολικόν*, vid. l. l. cf. Suidas s. *Ὀρφ.* et Eudociae Violar. pag. 318. Haec omnia expeditiora essent, si exstarent quae de Pythagoricis symbolis conscripserat Aristoteles.

duplici evidentiâ; quarum alteram, quae mentis agitatione fiat, amplexus sit Aristoteles, alteram, a sensu efficiendam, probasse Platonem. Porro, ut a Proclo symbolicae rationi opponitur τὸ κατ' ἐπιστήμην λέγειν: ita tanquam discrepantia invicem Plotinus ponit Ennead. V. 8. 6: διεξοδεύειν et συμβολικῶς λέγειν, cf. Ennead. III. 8. 8. Atque hac voce διέξοδος sic utitur Clemens Alexandrinus Strom. IV. 25., ut sit argumentatio certae scientiae effectrix. Diverso sensu legitur eadem ap. Stobaeum Eclog. lib. II. 7. pag. 106. Heeren, cf. ibid. p. 47. Proprie autem est enarratio, cum rem aliquam percurrimus; quod ipsum dictum esse constat τῷ λόγῳ διεξιέναι sive διεξελθεῖν.

Haec hactenus. Ex illo autem Procli loco primario idonea materia nascatur, ei, qui in rem ipsam altius descendere velit, ut de antiquissimorum hominum doctrinae generibus subtilius praecipiat. Quod quidem cum alienum fuerit a Winckelmanni consilio, qui artifices potius vellet suâ scientiâ augere et adjuvare consilio: tamen idem et ipsis salubrius de universâ Allegoriâ potuisset praecipere, si profectus esset ab eâ, sive scriptione sive picturâ, quam, ut simplicissimam, κυριολογικὴν dicit Clemens Alexandr. Strom. V. 4. p. 657. Potteri, distinguens ab illâ alterâ quae ipsi συμβολικὴ est. Sed totus ille locus dignus est, qui in hanc rem alias penitius excutiatur. Ab his autem primordiis deduci debebat haec disputatio ad singula genera, quae plurima in hoc loco reperiuntur. In his prae ceteris illustrandum erat, quid esset illud quod diversissimo significatu a Graecis σύμβολον vocaretur. In quam vocem certatim hodieque involarunt quicunque e nostratibus huius solius usu sibi sapere videntur. Quorum cantilenas ut equidem taceo, ita hanc notionem in hoc allegorico genere regnare ingenue fateor. Et vero si quis Aristotele praecipue auctore usus, a simplicissima notione εἰκόνος incipiat, et deinceps singula excusserit: universum illud genus trifariam describi posse intelliget, ita quidem, ut, si internam cujusque formae vim naturamque spectes, monstrare possis: primae formae summam conti-

neri in iis, quae esse necesse est, secundam in iis, quae esse posse cogitantur, tertiam denique in iis, quae reverâ esse ponuntur.

Verum quod supra dixi: haec nunc quidem explicare longum est. Itaque, quod Winckelmannus artifices facere voluit, illud faciamus et nos, qui haec *περὶ εἰδώλων* disseruimus, ut cum Democrito*) precemur, *εὐλόγχων εἰδώλων τυγχάνειν.*

*) Apud Plutarch. in vit. Aemil. Paul. cap. 1. et de Oracul. defect. p. 714. ed. Wyttenb. item apud Euseb. Praepar. Evang. IV. 17. p. 206. ed. Colon. Vocabulum autem Jonicum *εὐλόγχων* cum in *εὐλόγων* commutassent librarii, postliminio redire jussit Hemsterhusius ad Hesych. in *εὐλογχεῖν*; quem vide, adde Valckenarium ad Herodot. VII. 53. Utramque vocem frustra quaeras in Porti lexico Jonico.

IV.

DE VASCULO HERCULEM BUZYGEN
MINOEMQUE EXHIBENTE *).

Hirtius in historia artium inter exempla vetustissima pictura refert duo vasa in Museo Comitis ab Erbach asservata, quorum alterum ad judicium Paridis pertineat, alterum ad bovem Cretensem ab Hercule domitum **). De illa scena nuper dixi: de hac nunc cum maxime dicam. Ejus descriptionem paucorum verborum ambitu comple-

*) Ex Annali dell' Instituto archeologico Vol. VII. p. 92—111. (Romae 1835). Cf. Raoul-Rochette in Journal des Savants 1836, Octobre p. 584. Postea in tertia editione Symbol. et Mythologiae de hoc argumento aliquoties disputavi, nimirum Part. I. p. 98. II. p. 689 et 696.; denique Part. IV. p. 417. Atque cum secundo loco, Tab. V. Nro. 29., iconem etiam adjecissem, repetitam ex Italica Tav. d'agg. C. 2. 1835, non est quod ea his in Opusculis iterum repetatur.

**) Hirt's Geschichte der bildenden Künste bei den Alten p. 94: „In der Sammlung des Grafen von Erbach im Odenwalde (in Germaniae ea parte, quae ad Magnum Ducatum Hasso-Darmstadinum pertinet) liegen uns aber die Zeichnungen von ein paar Vasen vor, die zu den ältesten zu zählen sind. Die eine stellt den Hercules vor, der den cretischen Stier bezwingt, und auf der andern kommt, wie es scheint, Mercur vor, der den drei Göttinnen mit Paris vorangeht." Eorum ego vasorum beneficio *Illustr. Comitis Francisci τοῦ μακαρίτου* delineationes omnes habeo; in quibus sunt binae quae ad Paridis judicium pertinent, de quibus nuper admodum breviter egi in Annalibus literariis Vindobonensibus. Comparaverat haec vasa sibi Ill. Comes per opportunitatem itineris Italici, E. Q. Visconti consilio usus. Nunc cf. libellum de vita mea Lips. et Darmstad. 1848. p. 176.

ctar: reliqua subjecta delineatio explebit. Vides igitur, Lector benevole, taurum renitentem sed tamen jamjam desidentem (ὀκλάζοντα), quem vir barbatus fune ad bestiae pedem alligato retinet. Supra tauri dorsum comparet jugum singularis formae vel aliud instrumentum domando idoneum: a tergo bovis aratrum erectum et reclinatum. A sinistra vir alter itemque barbatus sed ensem capulo applicitum gestans socium operis adjuvare videtur velle. Uterque autem nudus et habitu obscoeniore. Universam scenam ambiunt ramusculi baccis appendentibus.

Ac primum si quis hunc taurum pro Dionysio tauro, id est, eo, quem cum altero Bacchus ex India advexisse ferebatur, accipere malit: nostri vasculi pictura nihil consimile habet aliis tabulis, quae taurum Bacchicum sistunt*). Deinde nec de Marathonio tauro cogitandum esse putem a Theseo subacto. Nam Atticorum fabulae huic patrio heroi hanc victoriam soli, nullo socio adhibito, vindicant, neque eam bestiam aratro adjunctam, sed subactam, Athenis publice ostentatam, denique Apollini Delphico immolatam produnt**). Quae cum ita sint, Hirtio V. Cl. hactenus suffragabimur, ut et ipsi in vasculo Erbacensi Herculem tauri domitorem agnoscamus. Iam vero videamus primum de reliquis antiquarum artium monumentis, quae eundem Herculis laborem exhibent; ac quoniam in anno-

*) De tauris Bacchicis vid. Plutarch. de Isid. et Osirid. p. 362 B. p. 484. Wyttenb. et cf. Mytholog. nostr. III. p. 131. et IV. p. 130 sqq. ed. alter.

**) Plutarchi Thes. cap. XIV. p. 30. ed. Leopold. cujus annotatio consulenda itemque Casp. Barthii animadvers. in Statii Thebaid. V. 431. Agriculturae tamen primordia a Thesei rebus haud aliena esse arguit alter locus ejusdem Plutarchi Thes. cap. XXIV., ubi refert fabulam de bovis imagine priscis Athenarum numis Thesei jussu insculpta, vel propter Marathonium taurum vel propter Minois imperatorem Taurum (de quo vid. Philochori Fragg. p. 30. et Demonis fragg. p. 17. ed. Siebelis), vel, *uti cives ad agriculturam adhortaretur;* ubi cf. Leopold. p. 61. Adde Eckhel. D. N. V. II. p. 207. et de capite Thesei juvenili cum clava et capite bubulo in Athenarum numis p. 217. Icones exhibet Haym in Thesaur. Britann. tab. XVII. Nro. 8. et cf. Nro. 11.

tatione numismatum mentionem fecimus, ordiamur ab illis. Quod inter Cretensium numos urbs Phaesti tales suppeditat, qui taurum exhibent pedibus colligatis aegre gradientem, Pellerinius laeta pascua indicari suspicatus est, et pedibus impediri boves, ne a grege longius aberrent, in ea conjectura adstipulatorem nactus Eckhelium *). Sed tamen, cum eorundem numorum altera pars Herculis imaginem exhibeat, et in anaglypho etiam, de quo infra dicetur, funis compareat, quo Hercules bovem Cretensem retinet, haud scio, an ille Phaesti numismatum taurus pedibus colligatis incedens ad illum Herculis ἆθλον potius referendus sit. Eodem refert numos Selinuntiorum Siciliae, qui Herculem habent cum tauro subacto, ejusque scenae in illius urbis numismate exhibitae causam sibi invenisse videtur Eckhelius **). Ex imperatoriis numus Antonini Pii Aegyptius Herculem nobis offert, qui taurum Cretensem domat ***). Anaglypha quod attinet inter Herculis labores etiam hunc habet marmor Capitolinum ****), habet Vaticanum †), itemque anaglyphum Albani ††), Borgianum etiam †††). In Parisino denique Musei Regii ††††) hoc maxime ad

*) Pellerin Récueil d. Médailles III. pl. CI. Nro. 62. 63. 64. p. 74. Eckhel. D. N. V. vol. II. p. 317. Descripsit eosdem numos Mionnet Déscript. d. Médailles T. II. p. 289. neque tamen, uti fere assolet, de ea explicatione quidquam adjecit.

**) D. N. V. vol. I. p. 240. Iconet habet Burmannus ad Dorvillii Sicula tab. XIV. et aliorum ejusdem civitatis numorum, idem tab. XIII., ubi bos conspicitur in basi sive pegmate locatus. Consule etiam Thierschii Epochen der bildenden Kunst unter den Griechen tab. I. Nro. 6.

***) Apud Zoëgam in Numis Aegypti Imperatoriis tab. XI. Nro. 11.

****) Vid. Sculture del Museo Capitolino da Fernando Mori Atrio tav. XIX. et ejus tabulae explicationem pag. 111 seq.

†) Vid. Museo Pio-Clement. Vol. IV. tav. XLI. ibiq. E. Q. Visconti pag. 310 seq. p. 314 seq. ed. de Milan.

††) In Zoëgae Bassirilievi antichi di Roma tav. LXIII. indeque in Millinii Galerie mytholog. pl. CXIII. Nro. 434.

†††) Apud eundem Millin. Gälerie mytholog. pl. CXVII. Nro. 453.

††††) Musée de Sculpture de Mr. le comte de Clarac (Basreliefs

nostram disputationem facit, quod ad caudam bovis Cnosii, quem Hercules subigit, funis alligatus conspicitur, quam rem paullo ante attigi, ubi de numis Phaestiorum dixi. Neque a vasculorum pictoribus hoc illius herois facinus neglectum est. In vase quidem Balkiano, quod nuper admodum primus spectandum exhibuit Inghiramius*), inter alia deorum certamina hoc quoque repraesentatur. Ad dextram enim illius picturae sistitur Hercules taurum domans ante pedes Eurysthei, praesente Minerva, adspiciente Jove, advolante Victoria; heros autem opus adgrediens dextra manu clavam, sinistra jugum videtur gestare vel fortasse arcum potius. Jugum si gerat Hercules, quod non decerno, vel me non monente continuo agnosces, quam bene conveniat inter hanc Balkianam imaginem et Erbacensem. Utut est, nostra certe pictura jugum commonstrat, sive instrumentum coërcendo idoneum dicere malueris, monstrat aratrum; neque tamen taurus interficitur nec cornu eliso foedatur, nec humeris portatur, sed detinetur ut arationi adsuefiat; nec arma aut clavam aliave tela habet domitor, sed nudus operatur pariter atque socius, qui nec ipse gladio utitur, quo instructus adstat.

Haec omnia, quae pictura nostra singularia habet, quasi manu nos ducunt ad comparationem scriptorum, qui hunc laborem Herculis memoriae prodiderunt. Homerum novisse Herculis *ἄθλους* arguit locus Iliadis XIX. vss. 130 seqq.; Hesiodum autem hunc ipsum Cretensem laborem memorasse inde conjicias, quod Acusilaus, quem nihil fere nisi Hesiodea pedestri sermone tradidisse dicunt, prodiderat, taurum Cnosium, Herculis historia nobilitatum, fuisse eundem qui a Jove missus Europam transfretarit**). Aliam famam re-

du Louvre) pl. 195. b. Nro. 211.; indeque summa accuratione expressum idem anaglyphum in C. O. Mülleri et Oesterleyi Denkmäler der alten Kunst III. Taf. XXX. Nro. 130.

*) In Galleria Omerica tav. CLXXV. (Iliad. Tom. II. p. 113 seq.)

**) Acusilaus apud Apollodor. II. 5. 7. ubi vide Heynium in Observatt. p. 151. ed. alter. et cf. Acusilai fragg. XXV. ad calcem Pherecydeorum p. 220. ed. Sturzii alter. Alter locus Apollodori sic habet (III. 1. 1.): *Ταύτης (Εὐρώπης) Ζεὺς ἐρασθείς, πίπτει διὰ τῆς θα-*

fert Apollodorus*), fuisse eum taurum, quem in gratiam Minois ut sibi immolaret, e mari submiserit Neptunus defraudatusque ea hostia efferaverit; quem subactum ab Hercule et in Graeciam translatum Eurystheus dimiserit; unde ille Isthmo trajecto Marathonem delatus Atticam vastarit. Hyginus ita (fab. 30. p. 86. Staver.) de Hercule: „Taurum, cum quo Pasiphaë concubuit, ex Creta insula Mycenas vivum adduxit;" quae eadem fere repetit (fab. 38.) in rebus Thesei de tauro Marathonio, probabiliter utrobique Tragicos secutus, uti fere solet. Cum eo facit Diodorus, nisi quod in tauro Cnosio domando Herculi facinoris socium Minoëm addit. Ita enim rerum scriptor (IV. 13.): *Μετὰ δὲ ταῦτα λαβὼν ἆθλον τὸν ἐκ Κρήτης ταῦρον ἀγαγεῖν, οὗ Πασιφάην ἐρασθῆναί φασι, πλεύσας εἰς τὴν νῆσον, καὶ Μίνω βασιλέα συνεργὸν λαβών, ἤγαγεν εἰς Πελοπόννησον, τὸ τηλικοῦτον πέλαγος ἐπ' αὐτῷ ναυστοληθείς.* cf. IV. 59 fin. in historia tauri Marathonii a Theseo perdomiti. Si Nonno fides habenda, alterum tauri Cnosii cornu in ea pugna confregit Hercules (Dionysiacc. XXV. 227 seq.):

Κνώσσιον Ἡρακλῆος ἔα πόνον, οἰστρομανῆ δὲ
οὐκ ἄγαμαί τινα ταῦρον, ὃν ἤλασεν, ὅττι τινάσσων
τοσσατίην κορύνην, ὀλίγην ἔτμηξε κεραίην.

Hanc vim Acheloo potius ab Hercule factam prodiderant

λάσσης Ῥόδον ἀποπλέων ταῦρος, ὃς χειροήθης γενόμενος ἐπιβιβασθεῖσαν διὰ τῆς θαλάσσης ἐκόμισεν εἰς Κρήτην. Commelinus: „*πίπτει* vero potest interpretari *labitur.*" Isaacus Toussaint in nota mscr. ad marg. exempli mei: „cod. Palat. *πέπτει*. Fort. *πέμπει διὰ τῆς θαλάσσης, Ῥόδον ἀποπλέων ταῦρον* p. 95. 2. (ed. Commelin. ubi nimirum Acusilai narratio refertur), etsi *πίπτει* se tuetur altero loco II. 5. 10. §. 10. *εἰς τὴν θάλασσαν πίπτειν*, et fortasse *διὰ τῆς θαλάσσης* delendum, utpote e sequentibus *δ. τ. θ. ἐκόμισεν* natum." Vides, haec satis congruere Heynianae rationi, nisi quod hic plura delevit in hoc loco. Nolim etiam *πίπτει* delevisset, quod poëticae narrationis vestigia habere videtur: *procubuit bos.*

*) Ibid. Utramque fabulam complectitur etiam Tzetzes II. 36. vs. 293 – 297. qui solutam Apollodori orationem denuo metro adstrinxit ideoque in eo mythographo contrarium fecit atque in illo poëta fecerat Acusilaus.

alii, quos Eudocia sequitur in Violeto (pag. 209.). Sed variarunt mirifice fabulae in illo Cretensi labore celebrando*); et ne illud a Nonno confictum credamus, prohibet alterius poëtae carmen, quod non solum miram illius tauri originem verum etiam occisionem ab Hercule perpetratam celebrat. Ita enim Nemesianus**) in Laudibus Herculis (vs. 118 sqq.):

„Fama celer toto victorem sparserat orbe,
Auxiliumque Dei poscebat Creta cruento
Victa malo. *Taurus medio nam sidere Lunae*
Progenitus Dictaea Jovis possederat arva."

Sequitur copiosa descriptio belluae, quam excipiunt haec extrema carminis vel fragmenti potius (vs. 133 seq.):

„Tandem fama celer Dictaea ad litora magnum
Duxerat Alciden cum taurum dira minantem
Excipit, et saevum cornu, flammas moventem
Corripit, atque artus constringere fortibus ulnis
Ignifluos flatus, *animamque in pectore clausit.*"

Hunc igitur si audiamus, non subegisse illum taurum ac mansuefecisse dicendus est Hercules, sed confecisse, suffocasse. Alium etiam ortum eidem tauro attribuit Lactantius ad Statii Thebaidem (V. vs. 431.) eumque ut in aliis multis ita in hac quoque fabula tradenda secutus Mythographus Vaticanus primus***), qui rem sic refert: „Minos *Jovis* filius et Europae, cum *patri* sacrificaturus accederet ad aras, oravit potentiam numinis ut dignam aris suis hostiam praeberet. Itaque subito taurus apparuit nimio candore perfusus; quem admiratus Minos, religionis oblitus, armenti sui maluit esse ductorem; *cujus etiam amore Pasiphaë fertur arsisse.* Igitur contemptus a filio Juppiter, in-

*) De qua varietate monuerunt Munckerus ad Hygini locos laudatos, Wesselingius ad Diodor. l. l., Meziriac ad Ovidii Heroidd. p. 341 seq. et Heynius ad Apollodori ll. ll.

**) In Wernsdorfii Poët. Latin. Minor. Vol. I. p. 291—293., qui interpres ad eum locum consulendus est.

***) Cum aliis mythographis nuper in lucem editus ab Angelo Maio in Classicorum Auctorum e Vaticanis codicibus editorum Tomo III, cap. 47. p. 20.

dignatus furorem tauro subjecit, qui Cretensium non solum agros sed etiam moenia vastavit. *Hunc Hercules missus ab Eurystheo superavit*, victumque Argos perduxit, ibique *consecratus ab Eurystheo est Junoni.* Sed Juno exosa munus, quod ad Herculis gloriam pertineat, taurum in Atticam regionem expulit, *ubi et Marathonius appellatus est; quem postea Theseus* Aegei filius interemit.“

Haec conjuncta sunt cum fabulis de tauro sidereo. Neque enim solum hic taurus, quem Pasiphaë deperiit, inter astra locatus ferebatur, verum etiam is qui Europam vexit. Eudocia (p. 391 seq.): *Ἄλλοι δὲ τὸν Εὐρώπην ἀγαγόντα ἐκ Φοινίκης εἰς Κρήτην διὰ τοῦ πελάγους ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι φασίν, ὡς καὶ Εὐριπίδης ἐν Φρίξῳ**). *χάριν δὲ τούτου ἐν τοῖς ἐπιφανεστάτοις εἶναι ὑπὸ Διὸς τιμηθέντα. ἕτεροι δέ φασιν βοῦν εἶναι τῆς Ἠοῦς* (leg. *Ἰοῦς***)) *μίμημα. χάριν δὲ ἐκείνης ὑπὸ Διὸς ἐτιμήθη τὸ ἄστρον.*

Natae autem sunt hae fabulae e religionibus solaribus ac lunaribus, quas ex Aegypto ac Phoenice adlatas certatim coluere Cretenses, Argivi, Attici. Quod nemini obscurum esse potest, qui secum reputaverit, quid sibi velit Juppiter in taurum conversus Phoenicum ab oris Cretam

---

*) Confer Euripidis fragmm. pag. 466. ed. Beck.

**) Ita enim Eratosthenes, cujus ex Catasterismis ad verbum haec in suum Violetum transplantavit Eudocia. Vid. Eratosthen. in *Ταῦρος* cap. 14. cf. Apollodor. III. 1. 1. et Hygin. fab. 178. Quod ad locum Eratosthenis Schaubachius pag. 90. addit: „Etiam hic taurus, quocum Pasiphaë concubuit, inter astra locatus est; et, si locus in Germanico non spurius est (*Eratosthenes*, inquit Germanicus, *dicit*, *hunc esse*, *qui coit cum Pasiphaë*), hoc loco (Eratosthenis) inserenda sunt verba Theonis ad vs. 167. Phaenomm.: *οἱ δὲ τοῦτον οὗ Πασιφάη ἠράσθη (κατηστερίσθαι φασίν).*“ Eudocia quidem in suo exemplo Eratosthenis plura non legit quam hodie legimus. Neque vero inde efficitur Germanicum suo in codice non plura legisse. Mirifice enim in hoc Catasterismorum capite itemque in eo, quod cum hoc conjunctum est, capite 23. (*Πλειάς*) conturbatum esse, dudum monstravit Lennepius ad Coluthum pag. 48 seq. Caeterum ex Theonis l. l. (pag. 48. Buhlii) discimus, alios Europae taurum, alios taurum Pasiphaës, alios Marathonium inter astra relatum tradidisse.

natando repetens; taurus a Jove editus vel ex ipsa luna progenitus, candidus, ignifer, per maria, per terras circumactus, nunc ab Hercule nunc a Theseo, vel a Junone expulsus, taurus porro imitamentum Ius in buculam conversae et Jovis deliciae, Pasiphaës denique flagitia et Minotauri forma atque natales. Sicut hic, quem extremo loco posui, nihil aliud est quam solare monstrum sive signum, Cnosio in antro antiquis religionibus celebrari solitum, adeoque ejus fabula ad illud mythorum genus referenda est, qui ab antiquis simulacris profecti sunt: ita quidquid de hoc tauro Cnosio ac Marathonio memoriae mandavit antiquitas, vestigia impressa habet priscorum rituum ac scenarum, quibus quotannis per Graeciam soli lunaeque sacra fiebant. Nolo nunc in haec astrologica, quae alibi pertractavi, iterum descendere. Illud unum hoc loco attingere liceat, quod nuper de Minotauro, sive de homine qui bubulum caput gerit, itemque de Hebone, sive de tauro humana facie instructo in utramque partem disputatum est. Quod enim Millingenius V. Cl. hos biformes antiquae sculpturae picturaeque partus ad solam significationem fluminum adstringere instituit; recte, me quidem judice, ab ejus viri auctoritate judicium suum segregavit Illustris Dux de Luynes, cum dicit*): „Il en est de ce symbole comme de celui du taureau à face humaine, qui se rattache d'un côté à des fleuves et des rivières, mais certainement, d'une autre part, à l'expression générale d'une idée physique consacrée par le culte dans une autre contrée tout entière“ et in sequentibus: „comme le taureau mystique est la personnification masculine de la terre et de sa culture“ et in nota addit: „Une pâte gravée antique de la collection de M. Panofka représente *plusieurs boeufs attelés et parmi eux le taureau à face humaine.*“ Cavendum est enim, ne, dum quae mystica feruntur, sollicite refugiamus, vetustas religionum tesseras nimium angustis limitibus includamus. Et quidnam mystici aut abstrusi contortique illa in tessera inest, quae humanam fa-

*) In Annalibus archaeologicis (Rom.) Vol. II. pag. 302.

ciem bovillo corpori impositam exhibet, si reputes, nihil aliud hac ipsa significatum voluisse priscos homines, nisi agriculturae munus et beneficium contineri unice consociata mente et prudentia hominis et robore bovis? Neque vero sejungenda est aquae humorisque natura a notione fertilitatis, nec proinde dii, qui fluviis praesunt, segregandi sunt ab opere rustico et agricolarum votis, neque adeo taurus generationis ubertatisque tessera ab eo deo dissociandus est, qui humidae naturae ipsique ponto imperitat*). Hinc bovi sacrum fiebat Neptuno, quia vis generatrix inest in aqua**). Hinc Argis delubrum consecratum *Ποσειδῶνος φυταλμίου*, et ne dubites, *almum* deum eo cognomine declarari, reputa in cultu Graecorum sacro adjungi eum Jovi pluvio et Cereri***) Etiam Athenis Atticis Neptuni sacra conjuncta fuerunt cum sacris Minervae, quae boum aratro jungendorum artem monstrasse ferebatur, et in arvalibus numinibus ibidem antiquitus colebatur. Utrum hic honor illi deo placando et averruncando ibi habitus sit, nunc non magis quaero, quam de certamine Neptunum inter atque Minervam, quod Atticorum fabulae tantopere celebrarunt. Nam alio nos vocat *Minervae arvalis* mentio, nimirum ad Buzygia sacra et agriculturae initia. (cf. nunc de Minerva agraria, uti antiquitus tota fuit, O. Müller Minerv. Poliadis Sacr. p. 1—16. et Preller Demeter et Perseph. p. 124. 289. 391 sqq.)

Ac de Buzyge hoc loco non repetam, quae vel alibi disputavi†), vel nuper admodum apte congessit vir juvenis

---

*) *Γενέσεως σύμβολον ὁ ταῦρος*, Hermias in Platonis Phaedrum, cf. Goens. ad Porphyr. de antro Nympharum pag. 108.

**) Eustath. in Odyss. I. 25. *διὰ τὸ γόνιμον τοῦ ὕδατος.*

***) Pausan. II. 32. 7. ibiq. Siebelis pag. 249. Hesych. in *φυτάλιμος*, quod explicat *γόνιμος*, cf. Plutarchi VII Sapientt. Conviv. VIII. 8. p. 730. p. 1013 seq. Wyttenb. et quae posui in Meletematis I. pag. 33. annot. 30.

†) In annotatt. in orat. de civitate Athenarum omnis humanitatis parente pag. 50. ed. alter. et in Symbolica ac Mythologia I. p. 484. II. p. 734 seq. et IV. p. 128. et p. 348.

eruditus*): ea delibabo, quae ad *Herculem Buzygen* potissimum faciunt. Sed pauca praemittamus de disciplina qua Minerva Buzygen erudierat. Aristides orat. in Minervam p. 23. Cant. p. 20. Dindorf: — *ἐνεῖδον γεωργίᾳ τε καὶ ἐμπορίᾳ***) *τῆς Ἀθηνᾶς οὖσιν ἀμφοτέροις, καὶ Βουζύγης τις ὑπῆλθέ με τῶν ἐξ ἀκροπόλεως, καὶ ὡς οὐκ ἦν τῷ γεωργῷ οὔτε τὸ ἄροτρον οὔτ', ἐπειδὴ καὶ τὸ ἄροτρον, τό γε ζεῦξαι τὰς βοῦς*

εἰ μὴ ἐπιφροσύνην δῶκε γλαυκῶπις Ἀθήνη,

δι' ἧς ἄροτρον μὲν καὶ ναῦς ἐδημιουργήθη, ἐζεύχθησαν δὲ ἵπποι καὶ βόες. Equorum domandorum artem eadem dea Erechtheum docuisse ferebatur, cujus res et ipsae cum agriculturae Atticae initiis conjunctae sunt***). Illius Buzygis iterum mentionem facit idem orator pro Quatuorviris (p. 215. p. 175. Dindf.). Ad quem locum quae scholia e cod. mscr. primus Hesychii causa Abreschius in Miscellaneis Observationibus (vol. V. part. 2. pag. 81 sq.) evulgavit, ea plenius nunc suppetunt in editis Frommelii mei (pag. 177.) et Dindorfii V. Cl. (p. 473.). Quorum scholiastarum alter ita commentatur: *ὅτι τοὺς τρέφοντας ἐν Ἐλευσῖνι τοὺς ἱεροὺς βόας ἀρατριῶντας βουζύγας ἐκάλουν*, alter: *βου-*

---

*) De gentibus et familiis Atticae sacerdotalibus disseruit *Chr. Lud. Bossler*. Darmstadii 1833. p. 10—14.

**) Quae huic vocabulo substituere volebat Reiskius, ea ipso judice nimium absunt a vestigiis literarum. Miror ei viro non in mentem venisse *ἐμπειρίᾳ*, quae poprie medicinae est. Nam Minervae Medicae cultus peculiaris erat Atheniensium. Versiculus ex Odyss. V. 437. desumtus est.

***) Cf. Aristidis Panathen. p. 184. et Scholia in eum locum, de qua fabula plura dixi, quae ad Parthenona pertinent, in animadverss. in Stuarti antiqq. of Athen I. pag. 545 sqq. ed. vernaculae Darmstadinae et ad Broendstedii Reisen in Griechenland II. p. 301. in Annalibus literr. Vindobonensibus. Nunc hoc unum addo: Sicut Atticorum regia prosapia *Zeuxippen* novit, quae ab equis jungendis nomen habet: sic in Boeotiorum genealogiis memoratur *Buzyga* Lyci filia a bubus jungendis nomen adepta (Schol. Paris. in Apollonii Argon. I. 185: *Βουζύγης τῆς Λύκου*, cf. Burmanni Catalog. Argonaut. p. CV. Harles. Heyne ad Apollodor. III. 14. 8. p. 331. et C. O. Mülleri Orchomen. p. 185.).

ζύγαι καλοῦνται οἱ τὰς ἱερὰς βοῦς τὰς ἐν Ἐλευσῖνι ἀροτριάσας τρέφοντες. Atque buculas arationi adhibitas agnoscit ipse Aristides loco laudato, et prisci moris auctoritatem tuetur Homerus ubi Diomedem Palladi voventem facit (Iliad. κ. 292 sq. cf. Odyss. γ. 382.):

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἧνιν, εὐρυμέτωπον,
Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.

De illa gente sacerdotali satis luculenter exponit Lexicographus a Bekkero nuper editus (Lex. rhetor. in Anecdott. grr. I. p. 221.): βουζυγία, γένος τι Ἀθήνησιν ἱεροσύνην τινὰ ἔχον· βουζύγης γάρ τις τῶν ἡρώων, πρῶτος βοῦς ζεύξας τὴν γῆν ἤροσε καὶ εἰς γεωργίαν ἐπιτήδειον ἐποίησεν, ἀφ' οὗ γένος καλεῖται βουζυγία. Quae ipsa aliquanto decurtata leguntur in Etymologico Magno (p. 188. ed. Lips. p. 206. Heidelb.). De hac gente dicendi nobis otium fecit Bosslerus. Quare nihil addo nisi hoc: cogitandam esse gentem Atticam consimilem fratribus Arvalibus Romanis, qui ab antiquo inde aevo πατρόθεν per manus tradiderint sacerdotalia ministeria, ritus arvales, hymnos sacros Minervae, Cereri etc. canendos, sacrificia*), de jure sacro respondendi munera et quae alia huc pertinent. Harum rerum fidem faciunt, quae de tribus arationibus sacris Atheniensium loco classico memorat Plutarchus in Praeceptis conjugalibus (p. 144 A. p. 566. Wyttenbach): Ἀθηναῖοι τρεῖς ἀρότους ἱεροὺς ἄγουσι. πρῶτον ἐπὶ Σκίρῳ, τοῦ παλαιοτάτου τῶν σπόρων ὑπόμνημα· δεύτερον ἐν τῇ Ῥαρίᾳ· τρίτον ὑπὸ Πέλιν τὸν καλούμενον Βουζύγιον**). Videamus de

*) Dorowii humanitati acceptum refero exemplar coloratum tabulae pictae in egregio vase exhibitae, quod nunc Berolini in Museo Regio exstat. Sistit ea sacrificium quod buculâ Palladi fit. Figura Minervae earum persimilis est, quas in vasis Panathenaicis conspicimus. Sacerdos femina invocat deam elatis manibus, quibus ramos tenet; tres viri fune pedibus buculae alligato (ut in Erbacensi vasculo) admovent eam arae; sequuntur duo tibicines itemque duo citharoedi, omnes solemni vestimentorum amictu insignes, quibus vetustis characteribus adpictae sunt sacrae formulae vel inscriptiones aliae. Universa tabula speciem prae se fert venerandae antiquitatis.

**) Bosslerus p. 11. sequitur lectionem Basileensem ὑπὸ πόλιν,

Hercule Buzyge et si qui alii boum domitores aratoresque in ejus nominis societatem venerunt: *Βουζύγης ὁ Ἡρακλῆς* (Suidas I. pag. 444. Kust. pag. 760. Gaisfordii). Cujus nominis Herculi inditi memoriam conservavit etiam Lactantius in divinis Institutionibus libr. I. 21.; de quo loco infra dicemus. Hesychius (I. p. 748. Alb.) *Βουζύγης* (*Βοζύγης* cod. Marc. ap. Schow. p. 178.) *ἥρως Ἀττικός*, ὁ (ἡ cod. Marc.) *πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄρατρον ζεύξας· ἐκαλεῖτο δὲ Ἐπιμενίδης· καθίσατο δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ὁ τοὺς ἱεροὺς ἀρότους* (*ἀρότρους* Marc.) *ἐπιτελῶν Βουζύγης*. Ita tradiderat Aristoteles, teste Servio in Georgica (I, 19.): „Epimenides, qui postea Buzyges dictus est, secundum Aristotelem.“ Scholiastes Victorii in Iliad. (σ. 483. p. 506. Bekk.): *καὶ ἄροτρον δὲ πρῶτον Ἐπιμενίδης**) ὁ *καὶ Βουζύγης ἔζευξε*. Nolo altius descendere in res Epimenidis; tantummodo de ejus patre ac patria adponam quae ad nostram causam faciunt: Diogen. Laërt. I. 10 init.: *Ἐπιμενίδης, καθά φησιν Θεόπομπος καὶ ἄλλοι συχνοί, πατρὸς μὲν ἦν Φαιστίου, οἱ δὲ Δωσιάδου, οἱ δὲ Ἀγησάρχου*. Plutarchus in Solone cap. XII: *Ἐπιμενίδης ὁ Φαίστιος*, ubi vid. Coray. p. 413. Plutarch. de defect. oraculorum (p. 409 f. p. 679. Wyttenb.)

---

quam etiam Hemsterhusius expresserat: *sub ipsam arcem*, sed Wyttenbachius (Animadvv. p. 897.) recte desiderat articulum *τὴν* ante *πόλιν* et aliud latere suspicatur sub illa lectione *Πέλιν*, quam corruptam etiam dicit G. Dindorf. in Thesauro Graecae Linguae Steph. et Parisinae recentis p. 349. Quod antiquissima seges Sciro attribuitur, hoc pertinet ad vetustissimam agriculturae praesidis memoriam, Palladis nimirum, cui is Atticae locus sacer erat; quod secundo loco ponitur Rharia aratio, intelligitur ex Pausania (I. 38. 6.), qui Rharium campum primum semina Cerealia recepisse prodit, et Rharus, sive avus sive pater Triptolemi, errantem Cererem domi suae hospitio suscepisse ferebatur (Suidas in *Ῥαριάς*, Ruhnken. ad Homeri h. in Cerer. vs. 450.); quod tertia demum aratio Buzygi tribuitur, id arguit *Eleusiniorum* fabulam, qui Buzygi utpote *Atheniensi* homini primas deferre nolebant. Universa Plutarchi narratio proinde ei tempori debetur, quo Eleusinia sacra jam cum sacris Atheniensibus coaluerant.

*) Ita recte corruptum: *ἐκεῖ Μαίνιδος* emendavit Lobeckius a Bosslero pag. 11. not. 9. laudatus. Proinde actum egit A. Meineke in d. Kasseler Zeitschr. für die Alterth.-Wissensch. 1844. Nr. 1. pag. 11.

τὸν Φαίστιον Ἐπιμενίδην. Apollonius Dyscol. Histor. comment. cap. 1. ex eodem Theopompo*): *Βώλου Ἐπιμενίδης ὁ Κρὴς κ. τ. λ.*

Conjunxit haec nomina Ausonius in Epistola ad Paulinum XXIII:

Triptolemon olim sive *Epimenidem* vocant
Aut *Bulianum Buzygen*
Tuo locabo postferendos nomini **).

Omnino agriculturae primordia et melioris vitae natalitia multis nominibus inclusa sunt, quae vel glebae agrique, vel bovis aratoris, vel aratri et instrumenti rustici, vel sementis significationem habent. Reputa Erechtheum, Erichthonium, Buzygen, Triptolemum, Echetlaeum***). Horum

---

*) Cf. Theopompi Chii fragmenta ed. R. H. E. Wichers p. 70. et p. 159. Cf. nunc Car. Müller. Hist. Gr. Vol. I. p. 288. Haeret in his Wichers; nimirum non noverat, Heinrichium V. Cl. in libello *Epimenides aus Kreta* haec ingeniose enodare studuisse (p. 12 sqq.) hoc pacto: Cnosium fuisse Epimenidem, patrem autem Phaestium, i. e. illum fuisse Cnosi natum, hunc Phaesti. Utut est, hoc intelligis, haec bene congruere cum ea fabula, quae Herculem, qui sicut Epimenides dicebatur Buzyges, *Cnosium* bovem domuisse ferebat, nec abludere a conjectura nostra, quam supra de imagine bovis pedibus conligatis in numis Phaestiorum proposuimus.

**) Quo in loco pro *Epimenidem* antea legebatur: Meden, Medon, Medem. Pro *Bulianum* Elias Vinetus ad l. l. p. 478 D. conjecit *Sunianum* a Sunio Atticae promontorio. Vulgata lectio est *Tullianum* (vid. ad Hesych. I. p. 747. Albert). Wyttenbachius ad Plutarchi Praecept. conjugall. l. l. p. 897. ita pronuntiat: „Nomen quidem *Tullianum* ex antecedenti *Tullii frumentariam* temere natum dicam: Is. Vossius mutavit in *Bulianum*, a *Bulia*, ut inquit, civitate Atticae, quam vere non statuo: certe et Plutarchi ὑπὸ Πέλιν et Ausoni *Tullianum*, quamvis fortasse corrupta, tamen ad ejusdem loci significationem pertinere dicam.“ Qui reputet, *Epimenidis — Buzygis* patrem dici *Βῶλον*, in Polybio autem hominem *Cretensem* memorari *Βῶλιν* nomine, quae forma Cretica est pro *Βοῦλις* sive *Βουλίας* (vid. L. Dindorf. in Thesauro Steph. Parisino novo p. 466.), ei fortasse haud improbabile videatur, in Apollonii Dyscoli loco laudato scribendum esse: *Βωλίου*, i. e. *Βουλίου*, et conjicere, ab Ausonio Buzygen sive Epimenidem hoc nomine patris appellatum esse *Bulianum*. Sed habet tamen quo se tueatur lectio *Βώλου* in Apollonio et in Ausonio *Tullianum*. Qua de re porro videbimus.

***) Pausanias I. 32. 4. qui posteaquam narraverat, Marathonios

similiumque nominum originem atque vim qui excusserit, et prisci sermonis indolem exploraverit, ei nihil mirum accidet, si audiat Cretensem illum Epimenidem, cui Buzygis nomen est, et qui primus boves aratro junxisse dicitur, vocari filium *Βώλου*, i. e. *βώλου*, *glebae* vel *agelli* *). Contra ei continuo in mentem veniet Tagetis, qui „in *agro* Tarquiniensi cum terra ararerur, et sulcus altius esset impressus, exstitisse repente et eum affatus esse (dicebatur), qui arabat**).“ Qui quidem Tages Etruscos pariter atque Epimenides Atticos a rudi immanique vita ad humanitatem avocasse ferebatur. Neque a Romanorum fabulis ritibusque aliena est agriculturae inventae memoria solemnibus nominibus inclusa. Argumento est nuptialis appellatio, qua sponsum Cajum s. Gajum, sponsam Cajam (Gajam) nuncupabant***). Inerat enim bovis operarii significatio. Nec

---

dicere, se primos Herculi sacra instituisse, ita pergit: „Accidit autem ut in pugna (Marathonia), ut memorant, vir quidam specie atque habitu agresti opem tulerit: qui quum ex barbaris quam plurimos aratro interemisset, repente evanuit; neque vero quaerentibus, quisnam ille fuisset, Atheniensibus aliud respondit oraculum, quam ut *Echetlaeum* heroa colerent.“ — *τιμᾶν δὲ Ἐχετλαῖον ἐκέλευσεν* (ὁ θεὸς) ἥρωα, quasi *stivarium* heroem dicas ab *ἐχέτλη* stiva; et cum aratri parte pugnans heros conspicitur in antiquis urnis, vid. Siebelis ad h. l. p. 119. et J. Winckelmanni opera Vol. III. p. 91. 170. 380. 415. 428. ed. nov. Dresden. — Nos ad causam nostram teneamus antiqua *Herculis* sacra apud Marathonios et eundem Herculem *stivam* manutenentem et arantem in nummis veterum; de quibus infra dicetur.

*) Letronne in Journal des Savants 1845. Novembre p. 677. „Il est clair, comme l'a reconnu M. Pape (Wörterbuch der Griechischen Eigennamen pag. 2.), que *Βῶλος* n'est rien autre chose que le mot grec *βῶλος* (gleba) employé comme nom propre, etc.“

**) Cicero de Divinat. II. 23. p. 379 sq. ed. Moseri ibiq. Jo. Laurent. Lydus de ostentis p. 6 sqq. ubi Ἑρμῆς χθόνιος Graecorum idem esse dicitur qui Tages Etruscorum. — De Tagete plura habes apud C. O. Müllerum in libro: die Etrusker I. p. 73. et p. 255. et II. p. 25. 89. et p. 174.

***) Plutarchi Quaest. Romm. c. 30. p. 271 D. p. 111. Wyttenb. cf. Hesych. I. p. 797. Alb. Γαῖος ὁ ἐργάτης βοῦς, adde Eustath. in Iliad. β. vs. 140. p. 153. ed. Lips. et Etymolog. Magn. p. 223. Heidelb. p. 203. Lips.

postea Romanorum principes detrectarunt ejusmedi nomina, quae ab agricultura desumta essent. Sic, ut hoc utar, Atiliorum cuidam familiae Serrani cognomen adhaesit, quod poëta tangit —: „vel te sulco Serrane ferentem *).“ Jo. Laurent. Lydus de Magistratt. Romm. I. 23: — καὶ Σαῤῥανὸς ὁ γεωργικὸς (ἀπὸ τοῦ σπείρειν). Idem tamen, quae ejus negligentia est, altero loco (I. 32.) haec Persii de Cincinnato falso ad Serranum traxit:

„Unde Remus, sulcoque terens dentalia Quinti,
Cum trepida ante boves *dictaturam* induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit“ **).

Jam si, ut illuc revertar, Attica illa Eleusiniaque nomina et numina recensemus, continuo intelligimus, in iis latere vestigia agriculturae inventae rursusque amissae adeoque ab uno eodemque populo saepius (bis terque) instauratae. Et vero agri colendi artificium ac beneficium permultis difficultatibus impeditum fuisse non est quod miremur, ubi vel naturam soli respicimus in regionibus montuosis et asperis, velut in Atticae magna parte, vel ubi reputamus defectum boum operariorum, quo prisci illi aratores saepiuscule laborabant. Hinc bucula sive vacca et ipsa per Graeciam antiquitus aratro, plaustro admota; qua de re supra vidimus. Quocirca etiam mature provisum est, ut quoad ejus fieri possit, bubus ad arandum idoneis parceretur. Ac quo immanium hominum libido efficacius castigaretur, intercessit religionum sanctitas auctoritasque legum, quae rudiores agricolas ab esu boum operariorum

---

*) Virgil. Aeneid. VI. 848. ubi adhibe Servium, Heinsium et Heynium. In marmoribus tamen, uti videtur, et in numis utique constanter *Sarranus* legitur. Vid. Heinsium l. l. adde J. Casp. Orelli Inscriptt. Latinn. Nr. 3110, ubi e lapide Veronensi exhibetur Sex. Atilius, M. F. Saranus. De numis consule Eckhelii D. N. V. Tom. V. p. 146. et C. L. Stieglitzii Distribut. Numorr. familiarum Romm. p. 17.

**) Satir. I. vs. 73 sqq. ubi cod. meus *Quem* offert pro *Cum;* idem liber cum aliis habet *dictaturam* pro dictatorem. Laurentii errorem jam notavit Fussius in Epistol. ad Hasium de I. L. Lydo p. 19 sq. Cf. nunc C. Fr. Hermann, Lectiones Persianae III. p. 7. cf. II. p. 19 sqq.

deterreret. Quapropter primae aetatis hominum innocentiam hac a bubus abstinentia declarabant. Cicero d. N. D. II. 63: „Quibus (bubus) cum terrae subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut poëtae loquuntur, vis numquam ulla afferebatur. — Tanta putabatur utilitas percipi ex bubus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur.“ Varro de R. R. II. 5. (p. 243 sq. Schneideri): „Nam bos in pecuaria maxima debet esse auctoritate — a quorum multitudine et foetu vitulorum Italiam dixerunt. Alii scripserunt, quod e Sicilia *Hercules* persecutus sit eo nobilem taurum, qui diceretur Italus. Hic socius hominis in rustico opere et Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset, qua in re testis Attice, testis Peloponnesos. Nam ab hoc pecore Athenis *Buzuges* (Buzyges) nobilitatus Argis Onogyros“*). Nimirum dubitari nequit, quin Attici homines hanc legem et ipsi Buzygi acceptam retulerint; ut ex eorum sententia primus arator idem fuerit venerandus exsecrator. Frequentantur enim varia mentione veterum scriptorum Buzygiae exsecrationes**).

---

*) Ad eum locum adhibe Schneideri Commentar. p. 440 sq. Aelian. V. Hist. V. 14: *Καὶ τοῦτο δὲ ἦν φυλαττόμενον παρ' αὐτοῖς* (Atticos dicit) *βοῦν ἀρότην — μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργός, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός.* Quae ad verbum respondent Varronianis. cf. Plin. H. N. II. 56. interpp. ad Aelian. l. l. et consule Jacobs. ad Antholog. Gr. II. 241. Comment. Vol. IX. p. 232. et Bossler p. 10.

**) *Βουζύγειοι ἀραί.* De quibus qui egregiam Valckenarii annotationem ad Herodotum VII. 231. legerit, is plura non desiderabit, nisi eundem Criticum ad Euripidis Phoenissas vs. 1458 sq. adhibere velit. Ego bina tantummodo apponam. Primum quod Valckenarius l. l. in Ciceronis verbis de Offic. III. 13. 14: „Quid est enim aliud erranti viam non monstrare, quod Athenis exsecrationibus *publicis* sanctum est“ pro *publicis* scribi vult *Buzygis*, hoc vel novissimi Officiorum editores silentio praetermisere, neque vero Schweighaeuserus, qui palmariam conjecturam justis laudibus impertiit et simul Proverbiorum Appendici Vaticano I. 21. opem tulit ad Herodoti l. l. p. 65. — Deinde, si ab Ausonio in suo codice Ciceronis illud *Buzygis* lectum esse statuas, ratio adpareat, cur *Tullianum* dixerit Buzygen, nimirum a Tullio cele-

Sed tamen haec abstinentia a boum carnibus in illa vita Graecorum hominum non aeque perpetua esse potuit quam apud Indos Aegyptiosque. Coeli terraeque diversitas alium morem paullatim invexit; neque a bove aratore illi quidem usque quaque abstinuere manus. Ne tamen in hac re nimium grassaretur cupiditas a sacerdotibus cautum est. Instituta sunt sacra, quibus Jovi, Herculi aliisque diis boves rite immolarentur, iisque peractis bubulae carnes consumerentur, ut homines quae vel necessitas coëgerat vel cupido suaserat, religiose magis quam libidinose facere viderentur. Inde nata sunt illa Buphonia sive Diipolia Atheniensium*); in quibus sacerdotum is, quem bovis percussorem (*βουφόνον*) nominabant, securim in bovem jaculatus protinus aufugiebat; qui vero adstiterant, quasi eum, qui bovem percusserit, non viderint, securim in judicium tamquam ream citabant. De quibus ritibus quae alio in loco explicatius disputavi, non repeto, hic ejus fabulae admonebo, quae ferebat, illum, qui primus bovem in Attica ceciderit, peregrinum fuisse hominem, et ea caede peracta voluntario exilio in *Cretam* fugisse**). Vides igitur fabulas e ritibus sacerdotalibus ac scenicis progenitas. Atque cum in bubus Herculi immolandis apud Thessalos Rhodiosque similes ritus fierent similesque exsecrationes audirentur, similes quoque fabulae Herculeis laboribus interpositae sunt, et haud dubie in scenam etiam adductae praesertim satyricorum dramatum; indeque a pictoribus ad oculorum quoque

---

bratum, ac proinde non nemini salva videri possit illa lectio, neque tamen mihi.

*) Aelian. V. H. VIII. 3. — *Διιπόλια τὴν ἑορτὴν καλοῦσι καὶ Βουφόνια*. cf. Pausan. I. 24. 4. I. 28. 11.

**) Porphyr. de Abstin. ab esu carnn. II. 29. p. 154 sqq. Rhoer. De reliquis consule quae posui in Symbolica et Mythol. Vol. IV. p. 122 sqq. ed. alter. — Illam abstinentiam postea quoque in humanitatis laudibus habitam esse, arguit locus Addaei in Antholog. gr. II. 241. (p. 225. Jacobsii) quem ab Hugone Grotio conversum adscribam:

„Defessum senio longisque laboribus arvi
Ad cultrum dominus non vocat Alco bovem.
Tanta viro est operum reverentia. mugit in herba
Ille, nec in collo liber aratra timet.“

sensum in tabulis expositae. Hinc Hercules *Βουζύγης* idem exstitit *βουφάγος*, sive *βουθοίνης* (*βουθοίνας*), hinc proverbium ad Herculem *πολυφάγον* notandum*). Utramque fabulam et Thessalam et Rhodiacam breviter refert Apollodorus, hanc copiosius Lactantius; scenam in tabula picta exhibitam eloquentissime Philostratus senior**). Rem narrabo verbis Lactantii, cum quia hunc scriptorem non adhibuerunt ii, quos modo citavi, interpretes, tum quia Tullianae elegantiae imitatorem arguunt. „Apud Lindum, quod est oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt, quorum a ceteris longe diversus est ritus; siquidem non *εὐφημίᾳ* (ut Graeci adpellant) sed maledictis et exsecratione celebrantur: eaque pro violatis habent, si quando inter solemnes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Cujus rei haec ratio redditur, si tamen ulla esse ratio in rebus vanissimis potest. Hercules, quum eo delatus esset, famemque pateretur, aratorem quendam conspexit operantem, ab eoque petere coepit, ut sibi unum bovem venderet. Enimvero ille negavit fieri posse, quia spes sua omnis colendae terrae duobus illis juvencis niteretur. Hercules solita violentia usus, quia unum accipere non potuit, utrumque sustulit. At ille infelix quum boves suos mactari videret, injuriam suam maledictis ultus est, quod homini eleganti et urbano gratissimum fuit. Nam dum comitibus suis epulas adparat dumque alienos boves devorat, illum sibi amarissime conviciantem cum risu et cachinnis audiebat. Sed postquam Herculi divinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit, a civibus ei ara posita est, quam de facto *βουζυ-*

---

*) *Ἡρακλῆς ξενίζεται· ἐπὶ τῶν βραδυνόντων.* Arsenius in Violeto p. 278. Walzii, cujus notam consulito et cf. Jacobs ad Antholog. gr. Tom. XII. p. 41. et ad Philostrati Imagg. p. 534.

**) Apollodor. II. 5. 10. ubi vid. Observv. Heynii p. 172. ed. alter. et II. 7. 7. et Heynii Obss. p. 193. De Thiodamante paullo aliter narrat Eudocia p. 209. et p. 211. — Lactantius divinn. Institt. I. 21. p. 145 sq. ed. Buenemann. Philostrat. sen. Imagg. in Thiodamante lib. II. cap. 24. p. 92 sq. ed. Jacobs. Rhodiaca fabula pertinet ad Herculis religiones apud Lindios usitatas: vid. Heffteri Disquis. de cultibus deorum in insula Rhodo I. p. 24.

γον, id est, bovis jugum (haec quatuor verba absunt a cod. Gothano et habent speciem interpretamenti) nominavit, ad quam duo juncti boves immolarentur, sicut illi, quos abstulerat aratori: eumque ipsum sibi constituit sacerdotem ac praecepit, ut iisdem maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur; quod negaret, se umquam epulatum esse jucundius.“ Nec sculptura hanc scenam praetermiserat, siquidem statua fuit, quam descripsit poëta his versibus:

„Qualiter Alcides occurrit Thiodamanti,
Expressit natum sic Jove docta manus.
Ruricolam trahit ecce bovem, clavaque minatur.
Sed non hic caedes est quoque picta bovis.
Ars gemitum posuit, puto, Thiodamantis in ore,
Qui movet Alciden atque inhibere facit“*).

Referamus pedem ab hac pictura ad picturam in vasculo Erbacensi representatam, et anquiramus, utrum ante oculos habeamus Herculem *βουφόνον* an *βουζύγην*; namque in eo heroë inclusam esse utramque rem, et arandi sollertiam et bovis devorandi vel necessitatem vel cupiditatem, ea quae adhuc congessimus luculenter commonstrant. Atque si hanc vasculi imaginem adspicimus, adjunctum Herculi videmus hominem gladio armatum; quod telum ad bovem mactandum trahere quis possit, posteaquam ab Hercule subactus sit, et ipse Hercules:

„Ruricolam trahit ecce bovem,“

sicut apud poëtam modo laudatum legimus.

Sed illud alterum, quod ibidem legimus:

— — „clavaque minatur“

id ipsum in hac nostra pictura non conspicimus. Contra acclamandum a nobis est ejusdem poëtae verbis:

„Sed non hic caedes est quoque picta bovis“

---

*) Incertus poëta in Antholog. gr. III. p. 211. (p. 178. Jacobs) *Οἴῳ Θειοδάμας κ. τ. λ.* Adposui carmen sicut latine vertit H. Grotius. De statua cogitabat Heynius, indeque vs. 4. *γλύφε* ponebat pro *γράφε*. Tum opus trium figurarum fuit. Sed Grotius tuetur *γράφε*, et Jacobsius tabulam pictam fuisse putat (in Commentar. ad h. l. Vol. XII. p. 40.).

itemque Addaei poëtae verbis leviter immutatis:

„Ad cultrum tamen non vocat Alcides bovem."

Quae quum ita sint, agnoscemus potius Herculem *βουζύγην* sive boum domitorem et aratorem in Erbacensi vasculo repraesentatum, qui vel Cnosi vel Phaesti Creta in insula, adhibito Minoe operis socio, vel alibi alio socio adsumto, in eo sit, ut bovem repugnantem cornupetamque ad arationis opus subigat. Et *aratorem Herculem* ante oculos ponunt numismata, in quibus „Hercules comparet agens boves, d. stivam aratri, pede sulco imposito, s. clavam et spolia leonina gestans" neque vero clava minans, uti nec gladio minatur in Erbacensi pictura socius, adjunctus Herculi clavam non gestanti, et vero ex aliis numis simpliciter memoratur: „*Hercules arans*"*). Itaque rationem nostram hoc pacto concludere nobis videmur posse, ut vasculo Erbacensi inscribamus: „*Hercules et Minos bovis domitores aratoresque, sed ad Satyrici dramatis indolem exhibiti.*"

*) Vaillant. Numi Pr. III. p. 147. numus Commodi ae. max. cf. Raschei Lexic. Numm. Vett. II. 2. p. 163. et Eckhelii D. N. V. Vol. VII. p. 131. de numo Musei Albani max. moduli.

V.

ORATIO
DE
CIVITATE ATHENARUM OMNIS HUMANITATIS PARENTE*).

FRIDERICI CREUZERI

O R A T I O
DE
CIVITATE ATHENARUM OMNIS HUMANITATIS PARENTE.

EDITIO ALTERA EMENDATIOR.

VIRIS CELEBERRIMIS
CAROLO BENEDICTO HASE
ET
RAOUL-ROCHETTE
PROFESSORIBUS PARISINIS, BIBLIOTHECAE REGIAE GALLICAE PRAEFECTIS, ACADEMIAE INSCRIPTIONUM ET ELEGANTIORUM LITERARUM ALIARUMQUE ACADEMIARUM SOCIIS, ARTIUM GRAECARUM INTELLIGENTIA NON MINUS QUAM ATTICA HUMANITATE CONSPICUIS
HANC ORATIONEM VOLUNTATIS SUAE TESSERAM
D. D.
FRIDERICUS CREUZER.

P R A E F A T I O.

Nuper contenderant a me viri amici juvenesque literarum studiosi, ut in Germaniâ typis repetendam curarem

*) Haec oratio numquam habita est, sed tamen Leidae continuo post discessum ab hac urbe meum impressa et Joanni Meermanno, Studiorum per Hollandiam Moderatori, et Academiae Leidensis Curatoribus inscripta a. 1809, postea vero 1826 in Germaniâ emendatior typis repetita Francofurti ad Moenum. Quibus de rebus consulant qui

hanc orationem, quam in procinctu feceram Heidelbergâ Leidam vocatus, nec dicendi facultate fretus verum mori majorum obtemperans, qui in munere academico adeundo hoc vocis officium ab artium professoribus expetere consuevit. Atque facile intellexi haec studia hominum non tam oratoris facundiâ incensa esse, quam vi ac naturâ argumenti, ut quod totum contineretur laudibus Athenarum, principis urbis Graeciae, in quam nunc cum maxime omnium ora atque oculi conversi sunt.

Cujus terrae amore cum a teneris me ipse ardere senserim: nunc quoque eum refrigerari nolui. Itaque, ut, quantum in me est, animum probarem gratum in eos, a quibus humanitatis studia originem duxerunt, non solum facile sum passus in patriâ evulgari hanc orationem, sed castigavi etiam unâ cum illis amicis, qui lucubrationibus meis nescio quomodo tantum tribuunt. Quae censura quas rationes secuta sit, quos tulerit fructus, optime intelligent, quos penes, ut poëta ait, arbitrium est et jus et norma loquendi: ceteris explicare et longum est neque necesse. Ceterum ut has posteriores curas iis commendatas velim, quibus priores haud improbatae sunt, ita optare audeam, ut hoc quidquid est libelli nonnihil faciat ad studiosorum juvenum animos sanctâ erga inventricem artium Graeciam pietate imbuendos.

Scribebam Heidelbergae Nonis Majis Ann. MDCCCXXVI.

ORATIO
DE
CIVITATE ATHENARUM OMNIS HUMANITATIS PARENTE.

Magnam inesse admonitionis vim in adspectu locorum, et veteres monuerunt, et hodie quoque peregrinatorum quivis suo ipse sensu confirmare solet. Neque vero, quare hoc fiat, cum *Pisone* quaero, sed ipsius verbis dico, naturâ

velint Vitam meam 1848 a me adumbratam vernacule, et Lipsiae Darmstadiique editam p. 46 seqq.

datum esse, ut, cum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros accepérimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus. Quod quidem in hanc Vestram urbem maxime cadere, nemo paullo eruditior ignorat. Omitto cetera, licet haec ejusmodi sint, ut in hanc item verissime dicatur illud: quacunque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus: et meô me nunc cum maxime studio duci patior, quod literarum disciplina continetur. Atque inde a renatis literis harum laude nobilitatos nulla fere civitas in suorum numero plures habuit. Nihil mirum igitur usu venire, ut, quicunque artium studiosus huc devenerit, acrius multo et attentius de illis earundem adjutoribus, locorum admonitu cogitet. Hoc si iis accidere solet, qui peregrinatores tantum spectatoresque huc deferuntur, quomodo me affectum creditis, qui vocatus publice in hoc sacrarium pedem intulerim? Quo me obtutu haec spatia lustrare arbitramini, quae toties summorum virorum vocibus resonarunt, cum mihi hodie et fortasse etiam posthac hoc ipso loco dicendum sit? Quo me animo, ut in altiorem memoriam egrediar, dicere existimatis: hic HEMSTERHUSIUS fuit, hic ejus auditores RUHNKENIUS et VALCKENARIUS, cum in eâdem me cathedrâ locatum videam, quam ille Graecarum literarum doctor omnium primus occupavit, hic, dignus eo viro discipulus, suis laudibus insignem reddidit? Atque haec ipsa sedes, per funestissimam cladem orbata LUZACIO, hujus nunc quoque vocem desiderare videtur.

Quae funera sicut Vobiscum luxerunt omnes, quicunque humanitatis sensu non prorsus destituerentur, ita iidem et Vobis et literis et sibi ipsis gratulati sunt tot egregia ornamenta servata in summo discrimine urbis; quae ne funditus everteretur cavit Deus, qui eandem honestissimarum rerum omnium sedem constitui voluit. Ego autem pie veneror summum vitae mortisque arbitrum, qui ex civium Vestrorum, quos equidem salvos maluissem, obitu vitae meae rationes suspensas esse jussit, quandoquidem fas est eo magis venerari recondita Dei consilia homines, quo

minus ea perspicere valeant. Veneror item, ut decet, auctoritatem AUGUSTISSIMI REGIS, qui Dei se vicarium in his terris eo praestat maxime, quod bonas artes insigniter tuetur et liberaliter alit; quae, quoniam benefaciendo inprimis cernuntur, divinam benignitatem prae ceteris imitantur et referunt.

His ille servandis augendisque praefecit eos viros, qui ipsi non modo earundem dulcedine tenentur et quidquid de gravissimis curis otii eximitur, earum suavitate honestissime exhilarare solent, verum in eas se ita insinuarunt penitus, ut, qui hoc unum nosset, nihil praeterea eos in tota vita egisse judicaret, eorumque nomen illustratum virtutibus jam per universum literarum orbem posteritatis memoriae commendaretur.

Itaque non solum mortuorum indiciis loca haec me commovent, sed excitatur animus adspectu eorum quoque, qui salvi sospitesque in hunc amplissimum coetum coiistis. Primos enim et loco et ordine sedentes video *artium liberalium* in hoc regno *Praefectum* hujusque Academiae *Curatores* illustrissimos viros, earumque rerum, quae ad literas pertinent, omnium gravissimos prudentissimosque judices arbitrosque; quorum sententiâ comprobari eorum etiam interest, qui me longe instructiores a scientiâ et eloquentiâ promtiores huc escendere consueverunt. Quocunque porro oculos converto, conspicio homines, qui bonarum artium sensu imbuti, suam quisque disciplinam suo et ingenio et usu insigniter adjuvant et exornant. His Te quoque assidentem video, Vir summe DANIEL WYTTENBACHI. Nam Tu mihi nominatim appellandus es, cujus nomen vel puerulo in literarum initiis tradendis mihi optimus praeceptor cum laude solebat edere. Te deinde, cum primum in aliquam hominum notitiam pervenire coepi, velut antesignanum suspiciendum et usquequaque consectandum duxi. Hanc viam ingressus magis in dies perspexi, quo Tu jam loci enisus esses; cumque, quod institueram, non datum esset, ut aequis passibus consequerer: quod concessum erat, illud feci, ut neminem magis nec admirarer nec imitarer, quicunque in his literis hac aetate et regnant et regnare communi in-

telligentium judicio dicuntur. Atque, quo vehementius doluerum, Te mihi ereptum civibusque meis, et carissimum RUHNKENIO retineri in Bataviâ, quâ nulla umquam terra has literas earumque adjutores lautius aluit; hoc magis nunc cum maxime laetor, Te redditum mihi meisque conatibus, neque civem modo redditum, sed additum etiam socium atque collegam. Quamquam quale hoc sit, collegam nancisci in literis principem, nemo non intelligit, qui quidem humanarum virium justam mensuram agere queat: ego autem novitius cum veterano compositus ita persentisco, ut timorem quoque faciat.

Atque hoc loco, Auditores, illud velim a Vobis fieri, et mearum rerum rationem reputetis. Nam primum designor a *Praefecto* et *Curatoribus*, qui et ipsi literarum in primis laude inclaruerunt: arcessor in eam Academiam, quae illustribus earum artium, quas profiteor, ornamentis olim conspicua, hodie quoque eâdem claritate inter plurimas excellit: succedere jubeor eis viris, quibus majores neque haec terra nec ulla alia umquam protulit: adjungor ei collegae, cujus qui non plane dispar evadere velit, ei numquam liceat in secundis, nedum in tertiis consistere. Videtisne, quae cuivis vel paratissimo munus aliquod ineunti singula timorem incutere possunt, ea mihi mediocriter instructo sese nunc objicere universa? Quo igitur diligentius REGIAE voluntatis vim expendo, et judicii Academiae hujus *Curatorum* gravitatem reputo, eo major cura me invadit sollicitudoque injicitur, quomodo tantum tam insignis muneris onus sustinere possim atque efficere, ut ei satis videar respondere. Rursus, ubi mecum cogito, illud non sine providi Dei numine factum, et, quam ego judicii gravitatem extimueram, eam aequari magnitudine beneficii, quod amplectendum potius sit, quam recusandum: igitur haec ubi mecum reputo, me ipse confirmo, et facile patior tenuitatem meam in tam insigni Vestrâ humanitate acquiescere. Neque Tua mihi humanitas deerit, Vir ornatissime, qui eas disciplinas Tui ingenii luce collustras, quae ab illâ virtute nomen invenerunt. Tibi junctus incitatiore gressu et alacrius tenebo eum cursum, quem sejun-

ctus a Te, Tuo tamen exemplo ductus, institueram; et si quando vel deficiat vis ingenii vel minus instructus reperiar magnarum artium disciplinis, Te adjutore utar et honestorum consiliorum auspice, ut non provinciae solum ratio Te mihi copulet collegiique societas, sed ea quoque necessitudo intercedat, quam studiorum voluntatisque consociatio et conglutinare et conservare solet.

Quam vero liberalitatem a Vobis, Auditores, exoptavi, velut perpetuam mearum rerum munerisque adjutricem et sociam, eam hodierno quoque die mihi ut praestetis vehementer rogo. Nam cum majorum nostrorum laudabile institutum sic ferat, ut ei, qui munus auspicetur, dicendum sit de hujusmodi argumento, quod cum illo arctius junctum videatur: equidem praeclare intelligo, a mei ingenii modulo nihil magnopere posse proficisci, quod eruditissimorum hominum animos vel advertere novitate sua possit vel delinire dulcedine vel gravitate etiam commovere. Quo magis faciendum est mihi, ut de ea re dicere instituam, unde ipse Vestri judicii rationes suspensas velim. Nam cum mea maxime intersit humaniter de me statui, equidem explicabo, quantum humanitati debeatur. Et quoniam Graecarum literarum professionem aggredior, quae Atticorum maxime scriptorum praestantiâ commendantur, verba faciam *de omnis humanitatis parentibus Athenis*. Ita fiet, ut, licet circumscriptâ ab hoc loco omni subtiliore disputatione de re notissimâ dicatur, tamen haec ipsa non aliena censeri queat neque ab hac urbe, utpote Athenis Batavis, neque a Vestris ingeniis, quae humanitatis artibus conformata splendent, neque ab hoc meo officio, quod totum harum disciplinâ continetur. Neque illud vereor, ne hujus argumenti delectus meis consiliis aliunde officere videatur; quando in tam uberi et copiosâ materiâ necesse sit unicuique Vestrum multa in mentem venire, quae a me ne attingi quidem possint.

Quis enim umquam tantâ ubertate ingenii, tantâ doctrinae copiâ praeditus reperietur, qui de Athenis ita perorare possit, ut non semper, cum plurima dixerit, plura tamen omisisse judicetur? Neque vero haec a me dicen-

tur studio approbandae Vobis doctrinae, verum significandae voluntatis, quam ego totam in Vestrâ potestate esse cupio. Itaque spero fore, ut cum simpliciter Atticae humanitatis indicia ex vetere memoriâ repetam, ea res haud injucundam apud animos Vestros recordationem habeat, et, si minus meâ commendatione, suâ tamen dignitate Vestram mihi exigui temporis audientiam facere possit.

Atque si verum est, quod nemo dubitat, humanitatem, qualis quidem Athenis nata est, contineri iis rebus, quae hominum vitam cultiorem suavioremque et elegantiorem reddunt, continuo intelligitur, neque decus parari posse neque jucunditatem neque vitae cultum ullum, nisi prius necessitati provisum sit. Necessitatis autem notio ipsa varia quaedam et multiplex est. Eam ego, ne anceps haereat oratio, ex meliore vitae, quam nosmet ipsi vivimus, conditione repetitam judicatamque volo.

Jam ponite Vobis ante oculos prisca illa sive Pelasgia sive, ut proprie loquar, Ogygia tempora, Auditores, et vetustissimam humani generis memoriam replicate. Videbiturne vel necessitati consultum, ubi rapto vivitur, ubi ea, quibus fames pellitur per caedem, patratis invicem latrociniis quaeruntur, ubi a vi frigoris ab impetuque ferarum vixdum bene se tutos praestant homines, qui ipsi ferarum instar digladiantium inter se libidinum flatibus procellisque huc illuc impelluntur? Ejusmodi vita tantum abest, ut humana sit, ut ne vitalis quidem debeat haberi. Atqui hanc certe non ita dissimilem vitam fuisse Graecorum antiquissimorum, et ratio ipsa fidem facit, ducta ex Americae praesertim populorum similitudine, et scriptorum quoque auctoritas confirmat. Jam ut concedimus, ex istâ immanitatis illuvie et fluctibus Graecarum terrarum Argos emersisse priores: sic Atticum solum maturius ex ceteris eminuit, melioris que rationis semina et fidelius retinuit et felicius nutrivit et explicavit. Nacta tamen eadem terra prae ceteris fautricem fortunam dici possit, nisi impii ingratique animi sit fortunae temeritati tribuere, quod summi consilii et divinae providentiae manifesta documenta habet. Nam quo tempore universa Europa barbariei caligine tene-

lucisque obscurata et contristata jacebat, Asiae haud exigua pars itemque Aegyptus, dudum collustrata sapientiae luce, laetissima artium incrementa ceperat. Atque ex hac terrâ qui primi in Atticam navigarunt coloni illam tum, quae Graeciam obsidebat, caliginem sacrae flammae igniculis dispulerunt, omniumque rerum speciem exhilararunt. Cumque ad emendationem vitae nihil profici queat, quoad in diem vivitur et longe inter se distantibus locis homines vagantur venatum excurrentes aut inhiantes piscationi: alia ratio ineunda est, quae revocet vagos palantesque inque unum coire et eodem loco consistere suadeat.

Quod quidem, quamquam vel pastoralis vita propius ad humanitatem accedit, magis tamen fit agriculturae beneficio. Nam, si ab iis terris discesseris, quae suâ sponte incolas nutriunt: ceterarum omnium natura ita fert, ut vivi a nemine, nedum a multitudine uno eodemque in loco diu possit, nisi subacto agro sementeque factâ necessitatibus consultum fuerit. Agriculturâ autem semel inventâ nec reliqua vita diutius temere agitur efferaturque; sed una cum stabili domicilio conjugiorum vinculum nectitur, alendae educandaeque proli consulitur, et quae reliqua domesticus cultus utilia jucundaque habet. Ac Cecropem ferunt harum rerum nonnihil docuisse Atticos, quorum ipse regnum tenebat, ductâ Agraulo Actaei regis filiâ. Ille vero sive indigena fuerit sive ideo biformis dicatur, quod ex Saïtarum Aegyptiorum urbe Athenas delatus binas terras pro patriis habuerit, vel quod marem feminae primus matrimonio junxerit: utique idem pro eo haberi debet, qui misertus populi ad bestiarum conditionem abjecti, beneficiorum suorum memoriâ gratiam apud posteros invenit. Licentius etiam in rebus Erichthonii lusit poëtarum ingenium, qui Vulcani quodammodo filius, Minervâ tamen repugnante, terrâ natus inferiorem partem a dracone habuit, et Cecropis filiabus Aglauro, Hersae Pandrosoque exitio fuit. Equidem non magis indulgebo sectandis nominum originibus, quam de universâ fabulae sententiâ dicam; licet fuerint, nec invenusti illi homines, qui in eâ frugum inventarum initia latere suspicarentur. Hoc enim ipsum agriculturae

beneficium, quo barbaris gentibus majus impertiri nullum potest, non jam dubiâ poëtarum fide, sed certo historiae testimonio, Athenis Atticis, tamquam patrium nativumque, vindicabimus. Patrium autem cum dico, non hoc dico, ut eum, qui primus semina in Attico agro sparserit, negem illa asportasse aliunde, sponte ibidem nata tantummodo coluisse arguam. Hoc dico, quisquis undecunque semina acceperit, eundem, in Graeciâ certe, primum Atticis hominibus arationem boumque usum monstrasse cum vomere, vanno aliisque instrumentis aratoriis. Cererem autem, cum Proserpinam quaereret, Triptolemo heroi hoc artificium tradidisse communis fama ferebat. Et patebat ager Rharius, ubi prima messis facta, venerandus religionum sanctitate Deaeque vestigiis ad posteritatis memoriam consecratus luculentis poëtarum carminibus. Quorum unum nostrâ etiam aetate haec ipsa urbs, protractum e bibliothecâ Moscoviae, RUHNKENIO procurante in lucem edidit. Atque divino hoc frugum munere fortunata Attica non ipsa solum insigniter floruit, verum aliis quoque populis quam plurimum profuit. Cujus benignitatis memoria celebrata etiam deinceps est, cum aliis rebus, tum eo, quod ex ceteris populis multi quotannis frugum primitias Athenas mittere consueverunt. Quanta vero pars universae humanitatis, quamque multiplex hac unâ agriculturâ contineatur, hoc ipso intelligitur, quod ab eodem, qui divinitus arationem monstrasset, sive Triptolemo sive Buzyge, eas leges esse sancitas ferebant, quas a naturâ ipsâ latas diceres. Et erant in Buzygiis exsecrationibus cum alia necessaria ad humanitatem, tum hoc duplex pronuntiatum gravissime: „Sacer esto, qui erranti viam non monstrarit.“ „Sacer esto, qui inhumatum cadaver hominis neglexerit.“ Quid? idem ille, si scriptoribus credimus, in extremâ illâ vetustate sanctissimae etiam, quam ipsi profitemur, doctrinae congruenter convenienterque, „alteri facere vetuit quod sibi quis fieri nolit.“

Et mirabimur priscos homines salutaria haec vereque divina praecepta ab ipsis diis profecta credidisse, cum Cererem, quae sementem commonstrasset, eandem legiferam

et dicerent et venerarentur? Neque vero vita solum Athenis primum emendata est cum publica tum privata, sed ea quoque tradita sunt, quae hujus vitae terminos excedunt et perennia habentur. Nam CICERONI, at quali omnis humanitatis arbitro, cum multa eximia divinaque videntur Athenae illae peperisse atque in vitam hominum adtulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vitâ exculti ad humanitatem et mitigati fuerint populi, quae *initia* ut appellentur, ita re vera principia vitae cognita esse, quibus non solum cum laetitiâ vivendi rationem acceperint populi, sed etiam cum spe meliore moriendi. Et re verâ, quamvis impurorum hominum flagitiosa perversitas posteriore aetate haec quoque instituta ad omnem nequitiam deflexerit detorseritque: illud tamen negari nequit, saniore disciplina rei Atheniensium publicae prospectum fuisse, ut his ipsis praeceptionibus ii, qui mentem sevocare a contagione corporis possent, de maximis rebus meliora edocerentur. Quî enim fieri potuerit, ut gravissimi viri, Isocrates aliique oratores plurimi ab his mysteriis tam copiosam laudandae civitatis patriae materiam desumerent?

Sed referamus pedem Eleusine ab iisque sacris, quae ibidem nocturno aditu occultatâ fiebant, enitamurque in arcem, ubi illustri loco constituta communi omnium veneratione dudum colebatur Minerva, quamquam nondum Phidiaco opere commendabilis, verum tamen ipsa vetustate. Illa vero arcem urbemque ita tenebat antiquitus, ut etiam hujus nomen cum ipsâ deâ ex communi origine manasse crederetur. Quam rem qui pluribus verbis persequi velit, in eum, verendum est, ne recte dicatur illud ipsum „noctuam Athenas.“ Neque magis disputabo, utrum ei deae prius sit lanificium attributum, an belli administratio. Fuerit licet antiquior illa belli armorumque praeses, verum tamen non ei bello eadem praeest, quod impotentium cupiditatum furoribus temere incrudescit: hoc Mars administret et per agmina barbarorum sanguinolentus ruat: illa ei bello praeest, quod consilio arteque geritur, quod pacem tamquam finem spectat, quod conservando aeque atque pessumdando cernitur.

Itaque cum illa dea virtutis bellicae domina et servatrix diceretur, hac ipsa quoque virtute intactae Palladis urbem, ut poëta ait, servatam a diis constat. Ei igitur Deae, nemo non intelligit, quantopere conveniat congruatque humanarum tutela artium et feminearum quoque. Non est, quod operosius explicem eandem urbem,

Paciferae primum cui contigit arbor olivae;

ejusdem numinis beneficio artes etiam pacis, quae illâ quidem aetate singulae solarum feminarum erant, ut texendi, nendi, tingendi acuque pingendi, acceptas retulisse. Neque minax solum Pallas hastâ suâ galeâque et aegide, sed decora etiam peplo illo, quem Panathenaeorum festo die Atheniensium matronae sacrâ pompâ in aedem Cereris Eleusiniae ferebant. Qua quidem re cognitum quodammodo est, quam arctum inter utramque deam intercederet necessitudinis vinculum. Ac Cereris religionibus eruditiores *Atheniensium* almam illam rerum parentem naturam colebant, quae, sicut terrae gremio condita semina intus suscipiat alatque, editaque in lucem et virescentia paullatim ad maturitatem perducat, ita hominum vitae mortique praesit, quos ea nunc in terram cadentes recipiat, nunc proferat rursus et corporibus induat, alternas obeundi redeundique vices ipsa semper eadem lustrans et dirigens.

Per Minervam vero eruditiores rationem declarari volebant, quae, ut illa edita ferebatur e Jovis regis capite, sic et ipsa tamquam regina rebus omnibus moderetur; positaque in excelso quasi et semper quieto cacumine numquam conturbetur, velut tempestatum impetu, ita violentiâ cupiditatum concreto corpori continenter obnoxiarum: neque magis rerum extrinsecus oblatarum varietate huc illuc feratur et aliunde pendeat, sed intus susceptâ cogitatione agendi leges ex se ipsâ repetat; et stabilis immotaque velut ab excelsâ speculâ collustret suo lumine omnia, rerum humanarum omnium moderatrix immanitatisque expultrix. His deabus commissa atque subjecta urbs Atheniensium commune universae Graeciae prytaneum et exstitit et a gravissimo rerum scriptore vocata est. Cumque antiquitus omnium Graecorum mores iidem fere essent: Athenienses

primi, ferro, quod adhuc semper gestari solitum, in pace deposito, ad mitius mansuetiusque vitae genus sese remiserunt. Quodque priscis illis temporibus fieri solebat, ut pietas in deos et quidquid ceterorum officiorum est, suavissimis vatum carminibus instillaretur in feroces hominum animos: neque Atticae religiones eâ commendatione caruerunt. Quando enim Orpheus ille in asperis et saxosis Thraciae vallibus assidens bestias, rupes nemoraque traxerat, simul atque fides blandis impellere digitis coepisset et dulcissimam vocem explicare: Athenae illuc miserant ex suis civibus Musaeum, qui Musarum concentui auscultaret et Calliopae filio Musarumque alumno. Ut vero, quoad ejus fieri potest, conjiciendo eruamus, quid sub his fabularum involucris et quasi integumentis lateat: hoc saltem licet assequi, viguisse in Thraciâ sanctiorem aliquam disciplinam, quae conjuncta cum priscis religionibus et poësis legibus adstricta in Atticam usque propagaretur, ibique per manus quasi tradita, praesertim in gente Eumolpidarum, saniora multa, quam quae vulgaris cultus haberet, posteritati eruditae traderet. Neque vero solum Aegyptus et Thracia Athenas erudiit atque ex agresti licentiâ revocavit, verum etiam res Cretensium publica. Constat enim dudum hanc floruisse meliore civilis disciplinae ratione. Non licet certâ fide argumentorum firmare: probabiliter suspicari licet Theseum, cum jure legibusque arctius copularet Atticos, hanc ipsam Cretici regni formam in multis imitatum fuisse.

Hoc tamen Plutarchi, locupletissimi auctoris, fide perhibent, Epimenidem ab hac ipsâ insulâ oriundum arcessitumque Athenas in civili discordiâ, nonnullis praeceptionibus suis Solonis legibus salubriter viam munivisse. Quamquam in illius rebus multa propius absunt a poëtarum commentis, quam ab auctoritate historiae. Ubi autem semel altiores radices egit humanitas, ibi nullâ in parte nec publicae rei nec privatae sinit efferari et obdurescere sui studiosos. Itaque prisci illi Attici non modo peregrinorum artes in suam rem converterunt, verum profuerunt etiam peregrinis, cum Pelasgorum agmen, qui inopes sup-

plicesque ad ipsos delati perfugium petierunt, in suis finibus habitare paterentur. Iones autem ex Achaja pulsos constat unâ cum Atticis eodem loco diutius consedisse, haud vulgariter adjutos recreatosque φιλοξενίας officio, quo illi inter omnes excelluisse dicuntur. Et ita machinante Fortunâ, ipse ille Daedalus, in Cretam Siciliamque profugus, et Cretensibus et Siculis artis suae specimina edidit. Quae fabula, vindicata quidem a poëtarum ludibriis, haud exigua adpropinquantium paullatim artium vestigia retinet; quandoquidem et necessarius earundem exercendarum apparatus ab illo inventus dicitur, ut serra, ascia, terebra idque genus instrumenta alia; et in ipsâ statuariâ insignior ars quaesita, cum humani corporis imagines, quae Aegyptiorum more adhuc in truncos desierant vel compressis pedibus steterant, jam sejunctis exhiberentur, ut incedere diceres. Atque hoc loco mirari licet felicem Atticorum indolem, quae ab exteris tradita initia artium ita effingeret erudiretque, ut eae non adventiciae neque aliunde quaesitae, sed in Attico quasi solo genitae viderentur. Itaque factum est, ut iidem Aegyptiis Cretensibusque et aliis tamquam suis praeceptoribus haud ita multo post lautissima nutricia quasi et minervalia persolverent. Neque vero negari debet, si rationem ineas omnium Graeciae civitatum, praeclare inprimis actum fuisse cum Athenis; quandoquidem ex eruditioribus populis in hanc urbem, patentem ad mare opportunissimo appulsui, et maturius aliquanto et multo crebrius advenissent, qui bona sua cum eâ civitate communicarent. Ac sicut ea terra, quae semper horret, contracta frigore et perpetuis obnoxia aquilonibus, idonea esse nequit ad alendas fruges fructusque arborum, sed ea, quae, ubi conceptis seminibus hiberno frigore adstricta jacuit, vernis modicis imbribus et tepore laxatur: ita, cum nonnullae gentes perpetuâ torperent barbarie, Atticorum ingenium ex illâ ferinâ immanitate eruditorum colonorum beneficio ad humaniora studia mitigatum est. Eodem beneficio Attici homines alias postea gentes affecerunt. Constat enim, cum post Codrum Athenis regnari noluissent, Neleum Androclumque hujus filios

coloniam Ionum, qui Melantho rege in Atticam concesserant, deduxisse in eam Asiae partem, quae, ab his Ionia appellata, opum rerumque bonarum omnium beatissimâ copiâ effloruit. Cum unius quidem Mileti admonuero, pluribus verbis non opus erit, quo illius consilii magnitudo intelligatur. Singulae autem Ionicae civitates, junctae necessitudinis vinculo, suo quaeque loco modoque laetissima humanitatis incrementa ceperunt.

Neque tamen ulla harum civitatum tam firmiter fundata legibus tamque salubriter temperata, quam ipsae Athenae, ex quo Solon his praeesse coeperat. Nam postquam ea respublica, varie usa Archontibus et factionibus agitata, in diversas partes discessit, eique malo suis legibus Draco frustra mederi studuit: tandem eadem a Solone prudentissime administrata inque meliorem formam redacta est. Quanta enim hujus sapientia fuerit, et illud loquitur quod in septem sapientum numero est, et multo magis ex eo efficitur, quod, cum omnium populorum prudentissimi Graeci haberentur, in Graecis autem longe eminerent prudentiâ Attici, ipse omnium Atheniensium prudentissimus et esset et diceretur. Ac feruntur dicta ejus plurima, quae fidem faciant; in quibus illud est: se quotidie aliquid addiscentem senem fieri. Nam cum initio ludibundus tantummodo versus fudisset, postea sententias etiam graves in iis inclusit, et res quoque publice gestas multas intexuit. In has quantam ipse vim habuerit, arguit et Salaminis recuperatio et Megarense tropaeum, quamquam legibus ille suis nullum praeclarius monumentum reliquit. Accuratius in eas inquirere et hujus orationis indoles vetat, neque mei quidem ingenii modulo magnopere convenire videtur. Illud teneri volo, a prudentissimis harum rerum judicibus, tum patrum tum nostrae memoriae, humanitatis plenissimas easdem judicatas fuisse, sive publica disciplina spectetur sive privata. Neque enim solum tanto temperamento plebem inter senatumque egit, ut ab utrisque parem gratiam referret, sed mitioribus omnino, quam adhuc factum erat, consiliis usus est. Quodque sanctissimum Areopagitarum consilium constituerat, eo praeparavit idem Salaminiam

illam Themistoclis victoriam, qua universa humanitas vindicata a barbarorum impetu est. Nullâ tamen re diligentius efficaciusque ei consuluit, quam eis legibus, quibus puerorum, eorum maxime, quorum parentes aliquo loco numeroque essent, educationem moderari atque describere instituit. Nam sicut pauperiorum filios sellulariis certe artibus voluit erudiri: ita filios ditiorum iis artibus imbuendos censuit, quae ingenuos maxime homines decerent. Simulatque igitur puer septimum aetatis annum agebat, et egressus e gynaeceo matris nutricisque curâ carere videbatur posse, tradebatur ille duobus magistris, quorum alter eum pugilatu, luctâ, reliquisque artibus gymnicis exercebat, quibus venatio fere equitatioque addita est; alter eundem literarum initiis erudiebat, praecipue lectitandis carminibus insigniorum poëtarum. Nec minus arithmeticâ geometriâque imbuendum curarunt; quibus Philippi Macedonis aetate pictura quoque accessit cum linearis tum reliqua. Citharizare insuper et cantare ad chordarum sonos assidue docti sunt ingenui pueri; ut quasi Aganippae rore mature irrigata tenera pectora nihil intus susciperent, nisi honestarum rerum cogitationem. Cui rei praeterea consultum eo est, quod diebus festis nonnumquam publice privatimque praemia proponebantur, eroganda iis, qui optime cecinissent. Haec omnia partim Solon prudenter instituit, partim proxima Soloni aetas utiliter auxit et exornavit.

Atque cum statim a pueritiâ his rebus operam dari vellent Attici, earum cognitionem, adscito saepe et eloquentiae et philosophiae studio, suâ linguâ παιδείας vocabulo affecerunt, ex quo id ipsum intelligeretur: Romani humanitatis studia appellarunt, videlicet indicantes, homines, talibus disciplinis expolitos, longissime remotos a pecudibus et tamquam magis homines esse. Multo tamen prius, quam Athenas, velut in commune omnium gentium παιδευτήριον et museum Graeciae, suos filios doctrinâ expoliendos mitterent Romani, salutari non minus consilio oratores eo miserunt, qui ejus civitatis leges arcesserent. Itaque factum est, ut, posteaquam Roma gentium domina evasit, Atticorum respublica universum orbem terrarum legibus suis te-

neret quodammodo, et earum semina quaedam, unâ cum legibus Romanis, ad nostrae usque memoriae civitates propagaret.

Athenas tamen, ut huc revertar, vivo etiam Solone, occupavit Pisistratus, et identidem ejectus restitutusque perpetuâ tandem potestate tenuit. Neque tamen ille rempublicam conturbavit, sed Solonis legibus et cives uti passus est, et ipse iis satisfacere studuit. Quid? idem, cum ipse vir doctus esset, suamque eloquentiam literis instruxisset, earum ubertatem et elegantiam in suorum civium commoda converti voluit. Quocirca et musicae artis praesidi, Apollini Pythio, Jovique Olympio templum exstruxit, et omnium primus fertur in eâ urbe bibliothecam condidisse, scholamque instituisse in Lyceo. Idem Orpheum Crotoniaten, poëtam epicum, in suam familiaritatem adscivit. Homerum autem quum Atheniensium civem haberi vellet, utpote Smyrnâ oriundum ab Atheniensibus conditâ, hujus poëtae carmina confusa antea disposuisse dicitur. In qua operâ vel patrem adjuvit vel paternum consilium exsecutus est Hipparchus filius, qui hoc praesertim instituisse traditur, ut illa carmina quinto quoque anno Panathenaeorum festo a Rhapsodis recitarentur. Non est hujus loci, narrationum hac de re varietatem persequi, illud nemo dubitat, saluberrimum Athenis fuisse Pisistrati Pisistratidarumque imperium, cum aliis rebus, tum bonarum praesertim artium insigni adjumento. Etenim Hipparchus tantum abfuit, ut gravis exsisteret suis civibus, ut hi postea sub eo sese, tamquam sub Saturno, aureum quoddam seculum vixisse praedicarent. Et Plato, vel quisquis ejus dialogi auctor est, qui Hipparchi nomine inscribitur, hujus viri sapientiam dilaudat, Heraclides autem Ponticus eundem *φιλόμουσον* dicit. Ac quantopere ille Musarum famulos in deliciis habuerit, liquido docet Anacreontis Teji familiaritas Simonidisque Cei; quorum illum, missâ quinquaginta remorum nave, Samo Athenas accivit, hunc autem semper secum habuit, magnâ mercede ei persuadens lautissimisque muneribus. Familiariter item usus aliquantisper est Onomacrito, et ipso poëtâ; eodemque adjuvanda

rum artium studio ductus Academiam muro cinxisse dicitur. Cumque urbem augeret operibus, doctorumque hominum celebritate conspicuam redderet, etiam eos erudire instituit, qui in agris habitabant. Itaque Hermas constituit per vicos viasque, inscriptis elegis, quibus salutaria praecepta in memoriam vitaeque usum proderentur, ut illud: „Justitiam colito,“ „Amicum ne decipito“ aliaque plurima. Atque ita, Auditores, prisco admodum aevo, et quod horreret barbarie, Athenas vidimus non modo religionibus sacrorumque vatum voce ab agresti ferinâque immanitate revocatas, sed patriis etiam legibus publice privatimque temperatas emendatasque optimis artibus, atque humanitatem altiores jam in hac terrâ radices agere, ejusque incolas laetiore in dies fructu et maturiore alere et recreare.

Jam hoc tantum bonum, quo praestantius numquam humano generi datum est, sub hoc ipsum tempus, periculum erat, ne et Atheniensibus et Graecis omnibus et universae etiam Europae eriperetur. Etenim cum haud ita multo post Iones; cum reliquis Asiae incolis Graecis inde a Cyro rege Persarum imperio subjecti, a Dario rege defecissent, et bellum Ionicum exarsisset, Athenae eos et copiis adjuverunt, et ipsas quoque Sardes combusserunt. Quod consilium tunc quidem in irritum cecidisse constat; et finito eo bello a Phrynicho poëtâ in scenâ exhibitam Athenienses spectarunt expugnationem Mileti. Cumque tam tristi carmini spectaculoque totum theatrum illacrymasset, liquido cognitum est, quam humanus esset is populus, qui et aliorum miseriis tamquam suis commoveretur, neque ad poëmatum vim artificiumque torperet. Neque tamen idem propterea animis concidit, neque in muliebrium querelarum mollitiem effusus se affligi passus est, sed erexit sese, et patriae fortiter tuendae non modo signum sustulit, verum etiam mirâ virtute consilioque eam rem ad exitum perduxit. Alienum est ab hoc argumento, neque necesse haec copiosius explicari; illud reputari volo: illos *Μαραθωνομάχους*, et qui postea variis proeliis victores decertassent, cum e Graeciâ pepulissent Persas, et ocellum Graeciae Athenas servassent, hoc ipso retudisse ingruentis barbariae

impetum, et ipsam humanitatis lucem conservasse. Etenim Persae neque umquam ad eum ingenii cultum pervenerant, ut cum Graecis possent comparari, et tunc eorum disciplina paullatim praeceps ruere coeperat. Quocirca Aegyptus, quae ipsorum vim avertere non potuisset, obscurata jacuit, quoad a Graecis restituta Graecarumque lumine literarum rursus illustrata est.

Jamque ad illud me tempus pervenisse video, ex quo Pericles rem Atheniensium publicam per quadraginta amplius annos administravit. Hoc maxime principe et Cimone, qui Persarum copias fregerat, factum est, ut Atheniensium civitas mirum in modum cresceret, ceterisque Graecis in omnibus rebus longe antecelleret et quasi *Ἑλλάδος Ἑλλάς* exsisteret. Unde igitur in tantâ eorum, quae se ad dicendum offerunt, copiâ potissimum ordiar? Nimirum ab eo, quo demto horum ornamentorum nihil parari poterat. Nam cum, suadente Themistocle, navalibus copiis salutem suam civitas credidisset, earum ope, post illam Persarum cladem paullatim ita eminuit, ut cum ipsa non multum ultra viginti millia ingenuorum hominum haberet, postea tamen permultas insulas et mille oppida, longo circuitu, inde a Cypro ad Bosporum Thracium, hinc autem rursus reducto orbe ad Euboeam usque societatis necessitudine sibi devincta teneret. In quibus multas fuisse Atticorum colonias et supra monuimus, et exponere longum est. Cumque antea fodinarum argenti reditus e Laurio monte in publicum usum accommodati essent, Aristidisque integritati commune sociorum aerarium commissum fuisset, hoc jam translatum Athenas, a Pericle ad amplificandam urbem exornandamque conversum est. Privatim autem neque in victu neque in vestitu reliquoque vitae cultu quaesita magnificentia est, sed in publicum tantummodo decus et patriae et deorum maxime patriorum. Neque usquam pauperibus expeditior vita fuit, quam in hac urbe, in quam, florentem mercaturâ, ex omnibus terrarum orbis partibus omnia continenter importarentur. Non igitur defuit, quidquid materiae, aeris, eboris, marmorisque ad publica ornamenta desideraretur. Nec artifices defuere.

Vidit enim haec aetas Cimoni familiaritate junctum Polygnotum, qui unâ cum Micone et Panaeno porticum illam, quae ex ea re Poecile dicta est, tum aliis picturis decoravit, tum egregiâ illâ tabulâ, qua ille pugnam Marathoniam exhibuerat. Vidit eadem Phidiam adjunctum Pericli. Hic quidem quum etiam privatus exstruendum curasset Odeum destinatum Rhapsodorum recitationibus certaminibusque musicis, jam praefectus reipublicae illius artificis ingenio ad ea opera perficienda usus est, quae, ab ejus nomine appellata, ad declarandam summam artis praestantiam hodie quoque vulgo Phidiaca usurpantur. Non est igitur cur illa pluribus a me verbis explicentur, quae nec disertissimus quidem summâ verborum copiâ satis digne laudare queat. Neque magis praeclara Propylaea commemorabo, aut illum Parthenona, Periclis consilio restitutum multo ornatius, quam antea fuerat. Quod templum tenebat illa Minerva Phidiae; quam cum faceret, ex eâ, quae in mente ejus insidebat, eximiâ quadam specie pulchritudinis similitudinem duxerat. Idemque ad divinae speciei similitudinem artem manumque dirigens confecerat Jovem Olympium, quem Paulus ille Aemilius Jovem velut praesentem intuens, motus animo est.

Magnam praeterea Atticae urbi et inventionis et exornationis partem debet ars pingendi. Haec enim protulit Apollodorum, Zeuxidis praeceptorem, qui primus hominum, quod colores diversos temperaret umbramque coloribus exprimeret, gloriam penicillo jure conciliavit. Inde ante eum nullius tabula ostensa dicebatur, quae oculos teneret. Atheniensis item, Phidiaeque discipulus fuit Alcamenes, qui in marmore non minus, quam in aere eboreque et auro felicissime elaboravit. In Atticorum autem civitatem adscitus, licet Eleutheris Boeotiae oriundus, Myron ille aemulus Polycleti, cujus Discobolus omnium oculos advertit, vacca item nobilitata est luculentissimorum poëtarum carminibus. Quid Parrhasium dicam, qui populum etiam Atheniensem in tabulâ repraesentavit? Quid Euphranora, qui, optimis artibus eruditus et pingendi fingendique idem mirus artifex, cum Theseum Atticorum regem pinxisset, primus exprimere

judicatus est dignitatem heroum. Et Apellis illius aequalem Niciam suum habuerunt Athenae, ut alios praeteream, qui postea quoque floruere plurimi. Longum est enim, neque necesse, singulos memorare, qui vel Athenis nati picturâ sculpturâque et aliis artibus claruerunt, vel ibidem degentes ex Atticis maxime rebus operum suorum argumenta duxerunt: quando nemo dubitare potest, quin haec urbs harum artium partim repererit, partim honorem iisdem, vim atque incrementa contulerit.

Et quemadmodum Polycletus consummasse artem dicitur toreuticenque erudiisse, Phidias autem aperuisse: ita hac ipsâ aetate poësin, quam aperuerat quodammodo Homerus, suis numeris perfecit absolvitque Sophocles Atheniensis. Utque Polycleti canona imitando Lysippus exprimere studuit: sic ad Sophoclis aequaliumque imitationem optimus quisque posteriorum poëtarum se contulit. Prior tamen Sophocle Aeschylus tragoediam, inchoatam inde a Thespide rudioremque adhuc excoluit eique dignitatem addidit. Qui, ut ipse ad Marathonem Salaminaque et Plataeam pro patriâ decertarat, ita Persarum cladem in scenâ exhibuit, gravis praecipue sublimisque et grandiloquus. Ejus granditatem excepit Sophoclis facundia et sapientia Euripidis, quorum ille non minus sublimis et sermone et sententiis, idem tamen expoliit quod rude et incompositum in Aeschylo resederat. Atque in hoc maxime cognitum est, quid sit illud, tragoediâ animi purgationem perfici. Etenim cum virum fortem videmus, cum malâ fortunâ compositum, in ipso mortis articulo sibi constantem, neque fractum fortunâ concidere animo, sed sursum spectare immobilem: nascitur in animis nostris simul cum miseratione ille sensus humanitatis, qui ab omni humilitate alienus nosmet ipsos alte spectare docet, utpote divinae naturae cognatos quodammodo atque conjunctos. Nemo autem commovendae miserationis major artifex exstitit Euripide, qui philosophiae fructum divinaque Anaxagorae Socratisque placita in scenae actionem traduxit. Itaque fabulis animorumque motibus tragoedia eam fraudem fecit Athenis, qua, ut praeclare dicebat Gorgias, „et, qui deciperet, non

decipiente justior esset, et, qui deciperetur, non decepto sapientior.“ Neque igitur ad vana oculorum oblectamenta, verum ad animi honestissima studia erogatum debebat videri, quidquid Attici in Phoenissas, Oedipos, Antigonam Electramque et similes fabulas sumtuum faciebant. Nec lyricae poëseos rudes fuerunt Athenae, et lyricorum etiam principem Pindarum, cum Thebanus esset, quoad ejus fieri poterat, suum esse voluerunt, quandoquidem ipsum illum civitate donarunt. Comoedia porro, quae aliunde, maxime a Siculis initia cepisset, Athenis tamen et ipsa ad maturitatem adducta est; non modo vetus illa, quae liberâ civitate improborum saepe hominum licentiam coërcuit, sed media quoque itemque nova, quae e foro quasi et concione in aedes se recepit, privatorumque ingenia moresque utilissime imitata est. Atque Aristophanes, licet in veteris maxime Comoediae poëtis habendus, morum tamen Atticorum nobis optimus exstitit doctor, quem Plato in deliciis habuit, in ejusque animo, velut in sacrario, Gratias sibi ipsas domicilium constituisse, aliquo epigrammate prodidit.

Quid eloquentiam persequar? Cujus studium ipse ille Romanorum eloquentissimus non commune fuisse Graeciae dixit, sed proprium Athenarum. Et reverâ una urbs Attica pluribus sanae eloquentiae, quam universa Graecia floruit operibus. Hac autem arte nulla plus judicari debet publice profuisse, tamquam vitae communis magistra, stuporisque et immanitatis expultrix. Nam cum summa rerum tunc quidem penes populum esset, judiciisque interessent homines de plebe: necesse fuit, illam Periclis, Alcibiadis similiumque virorum, a philosophiâ profectorum, orationem doctrinamque ad popularem simplicitatem remitti. Quo factum est, ut quidquid animus, in maximarum rerum meditatione defixus, secum concepisset, illud ipsum in communem omnium intelligentiam explicaretur. Dies me deficiat, si Atticorum oratorum partes quasi et fontes repetere, atque genera et velut familias describere instituam. Quod e veteribus ipse ille optimus eloquentiae judex CICERO, et recenti memoriâ civis Vester me longe eruditior ita fecerunt, ut nihil desiderari possit. Itaque nihil dicam de

concinnitate Gorgiae, qui primus paria paribus adjuncta et contrariis collata contraria dicitur invenisse, nihil de subtilitate et elegantiâ Lysiae, nihil de gravitate Demosthenis, qui unus omnes eloquentiae numeros explevit, nihil de Phalerei illius suavitate doctrinâque. Hoc teneri volo, quod cum consilio meo arctius continetur. Est enim apud CICERONEM: Isocratis domum cunctae Graeciae quasi ludum quendam patuisse et dicendi officinam; itemque illud alterum: eloquentiam, ut semel e Piraeeo evecta esset, omnes peragrasse insulas, totâque Asiâ esse peregrinatam. Unde satis intelligitur, hac solâ arte et inveniendâ et augendâ Atticorum urbem magistram gentium exstitisse. Neque solum Hyperide, Aeschine, Demosthene florentibus eâ laude inclaruit, sed eandem retinuit Demetrii etiam Phalerei aetate, et ad extrema etiam tempora propagavit; ut a Libanio et posterioribus quoque dicendi officina diceretur, quo nomine eam Tullius appellaverat. Ac sicut in marmore rudia initio opera instituuntur inchoanturque, quae, non nisi vetustate commendabilia, aetatem ferunt, quoad doctiore paullatim caelo signa perficiantur, quae praestantiâ suâ intelligentium quoque oculos animosque advertant et teneant: ita sermonis Graeci horrida primum et quasi scabra facies, perpetuis Atticorum oratorum curis erudita et quasi levigata, divinam illam pulchritudinem explicavit.

Athenis etiam eloquentiae se, tamquam comes et alumna, *Historia* applicuit. Nam posteaquam Herodotus illis Persici belli heroibus suum et praeconium et testimonium tribuerat, in eâque jam tum primariâ urbe publice recitaverat sui operis partem, quo ille universi orbis terrarum memorabilia complexus erat: Thucydides, uti Miltiadis tropaeis Themistocles, sic ipse illius laudibus excitatus ad patrias res conscribendas se contulit. Hic primus historiam, arcessitam quasi e templorum penetralibus, in castra concionemque adduxit, et prudentiae civili militarique accommodavit. Cumque exsul civibus suis suâ et virtute et prudentiâ amplius in castris prodesse non posset: iisdem scribendo prodesse voluit in secessu, cum funestissimi belli varios actus vicissitudinesque explicaret et velut ad oculo-

rum sensum exponeret. Quod ille ita perfecit, ut de bellicis rebus bellicum quodammodo cànere diceretur. Neque solum consilia ducum explicavit, sed civilium quoque commutationum caussas et incommodorum remedia prudentissime aperuit. Quocirca, qui postea in consimili argumento elaborarunt, ut Polybius, Sallustius, Tacitus, et recentiores etiam, ab hoc potissimum edocti exstiterunt. Quas vero ille orationes rebus interposuit, eae redundant et affluunt egregiae sapientiae copiâ; nemoque illo efficacius omnem eloquentiae vim ad juris naturalis aeterna sanctaque praecepta stabilienda adhibuit. Atque ita Atheniensis hominis ingenio historia facta est experientiae vicaria humanitatisque commendatrix. Hujus autem civis Xenophon, licet non aeque grandis nec ratione nec oratione, tamen et ipse rerum scriptionem ad omnem humanitatem accommodavit. Qui cum, profectus a philosophiâ Socraticâ, magnam vitae partem exegisset in castris: et bellicam disciplinam et omne officium imperii vitaeque actionem omnem illius rationis praeceptionibus moderatus est et temperavit. Leniore autem sono orationis quam Thucydides et postea Callisthenes usus tam dulcis fuit, ut ejus voce Musas quasi locutas dicerent. Plurimi quoque fuerunt, qui subtiliter et copiose Atticorum origines perscriberent, resque patrias omnes uno volumine complecterentur. Horum celeberrimus Philochorus Atheniensis, qui doctrinae ubertatem, perceptam ab Eratosthene, ad historiam adhibuit. Eâdem doctrinae laude commendabilis exstitit Apollodorus et ipse oriundus Athenis, qui et alia permulta scripta edidit, et historiam cum fabularem tum ceteram explicuit, et, quoad ejus fieri poterat, ad temporum rationem revocavit. Huic quidem rei jam ante Thucydidem quodammodo consuluerat Meton, Atheniensis astrologus, illâ suâ Enneadecaëteride sive orbe undeviginti annorum, quo ille solis lunaeque motum conciliare studuit. Itaque et hoc utilissime Attici, quod siderum cognitionem ad rem civilem retulerunt. Artis autem medicae qui honor apud eosdem fuerit, et alia arguunt et illud inprimis, quod HIPPOCRATEM medicorum principem civitate donarunt publiceque initiaverunt Eleusiniis.

Multa in hoc genere a me praetermittenda sunt necessario, cum *Philosophiae* me Xenophontis injecta mentio admonuerit; quamquam hoc quidem loco et ipsa leviter tantummodo a me attingi et quasi delibari potest. Et philosophiae quasi nutrices Athenas quis umquam, summâ licet orationis copiâ praeditus, ita laudare queat, ut ejus argumenti ubertati satisfecisse videatur? Et vero, si unum Socratem protulissent Athenae, hoc solo nomine de universo hominum genere praeclare meritae debebant judicari. Nunc plurimos protulerunt, qui, quum plerique a Socrate orti essent, tamen, quod ex ejus variis et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat, maxime diversi inter se ac dispares fuerunt. Ac si verum est, quod eum fecisse veteres tradiderunt, quodque ita esse Xenophontei inprimis dialogi unumquemque docere possunt, avocavisse eum primum philosophiam a rebus occultis ab ipsâque naturâ involutis, et ad vitam communem adduxisse, ut de virtutibus et vitiis omninoque de bonis rebus et malis quaereret: igitur hoc si verum est, quis humanior Socrate umquam philosophus fuit, quis modestior et ab omni arrogantia et fastu alienior? Hoc auctore philosophia exstitit vitae gubernatrix, virtutum omnium parens et pravarum libidinum victrix. Hic, si quis alius, ad suam ipse regulam vixit et, quod apud poëtam est, pudoris quasi specimen absolvit. Hujus item discipulus Plato, licet ad retrusarum rerum investigationem rursus redegisset philosophiam, cum de mundi satu et ortu similibusque rebus aliis quaereret, neque tamen idem a praeceptoris virtute defecit, sed praestantissima ejus decreta magis etiam communivit. Nam quod Socrates docuerat, animos hominum esse divinos, iisque, quum e corpore excesserint, reditum in coelum patere: gravissimis ille confirmavit argumentis et copiosissime explicavit. Idemque rerum formas sive ideas esse docet, quae neque gignantur neque intereant, cum cetera omnia nascantur et fluant; a quorum servitio et illecebris mentem vindicari jubet et ad illarum tantum cogitationem revocari. Itaque soli Athenienses tunc quidem verissime dici poterant ad coelum iter cognitum perspectumque habere. Et quem-

admodum ad salubres animorum quasi epulas suavissimum Socrates addiderat condimentum sermonis: ita Socraticorum quoque principes orationis lenociniis et velut incantamentis mirificos rerum honestissimarum amores et excitabant et augebant. De Xenophonte supra diximus, et notissimum illud est, melle dulciorem ejus orationem esse, quam ipsae Gratiae finxisse videantur. Platonis autem tanta dicendi ubertas, ut ipsum philosophorum quasi quendam deum haberent Jovemque faterentur, si graece loqueretur, sic loqui. Propterea ex Academiae spatiis summi oratores exstiterunt, et ipse ille Demosthenes fertur lectitavisse Platonis libros ipsumque audivisse. Cumque antea Atticorum dictio ad illam salubritatem et quasi sanitatem conformata esset, qua ea prae ceteris commendaretur, jam, Socraticorum expolita ingeniis, summâ etiam elegantiâ venustateque placuit. Elegans autem inprimis atque faceta est illa ironia, qua in Platonis Xenophontisque libris Socrates utitur, praesertim cum sophistas irridet. In qua dissimulantiâ idem judicatus est omnibus lepore humanitateque praestitisse.

Eodem maxime tempore Athenis et rem scenicam Aristophanes excoluit, qui Platonem etiam in sui admirationem converterat, et Periclis domus tum illius tum Socratis aliorumque summorum virorum familiaritatibus floruit. Ejusmodi hominum congressibus si quis cum laude interesse vellet, eum oportebat placere eâ facilitate morum, quae aeque aliena esset a fatuitate, cui nihil non probatur, atque a morositate tristitiâque, cui nil probari potest. Commendari debebat faceto quodam genere sermonis, quod liberum esset nec indecorum. Atque in his circulis nata est dicacitas, non scurrilis ista et quae quemquam laedere videretur, sed modica quaedam et decora. Horumque hominum colloquiis scriptisque et intellectum primum est et ad eam regulam postea exactum, quid sit illud, Attice dicere et ad Atticorum aures teretes religiosasque accommodate. Quae colloquia ut urbanitatis quasi quodam sale perspersa mirifice placent: sic nec minus eo commendantur, quod scientissime fugiunt quidquid nimium et effusius videatur. Et sicut Attica judicia orationem fastidiebant, quae inconcinna

ac velut impexa agresti facie horreret squaleretque: ita displicebat ea, quae nimis comta et quasi calamistris inusta unguentisque delibuta flueret. Neque vero solum in sermonibus ac scriptis Attici aspernabantur affectatum istud genus effusumque, quodque nimiâ arte quaesitum videretur: sed in rebus omnibus, in victu, vestitu inque universo vitae cultu. Ita enim videmus fere fieri, ut, ubi semel, dispulsâ integritatis inimicâ barbariâ, sensus ordinis decorisque vigeat, quo magna pars humanitatis continetur, jam omnia suum ornatum accipiant, hoc est eum, qui naturae humanae legi congruat, elegantiaque quaedam exsistat non ad unum quoddam genus adstricta, sed per omnes vitae partes fusa et explicata. Hac elegantiâ nituere Athenae, ex quo eas Pericles suâ suavitate exhilararat; cognitumque ipso effectu est, quid sit illud, quod ipse apud Thucydidem suos cives facere dicit: *φιλοκαλεῖν μετ' εὐτελείας καὶ φιλοσοφεῖν ἄνευ μαλακίας*.

Illâ vero eloquentiâ nobilitata et vetus Academia est et quae secutae sunt reliquae, ut summus Romanorum orator idem de se profiteatur, quod supra in Demosthene observavimus. Xenocratis tamen non eadem proditur sermonis comitas fuisse, at eo efficacior gravitas, qua ille Polemonem resipiscere et ab infamiâ ad severitatem redire coëgit. O vitae philosophia emendatrix cupiditatumque rectrix, o felicissimum rationis et perpetuum bonum! Ejusdem Xenocratis sanctitati tantum tribuerunt Athenienses, ut cum testimonium publice a se dictum jurejurando firmare vellet, unâ voce se vel injurato credere acclamarent, neque jurare paterentur. Quod judicium, dubitari potest, utrum honorificentius iis fuerit, a quibus factum est, an ei, in cujus gratiam. Quid? in hoste etiam suae humanitatis testimonium exstare voluerunt Athenienses. Qui quidem, captis Philippi tabellariis, epistolamque Olympiadi inscriptam ferentibus, non solverunt eam, patefieri nolentes uxori scriptam salutationem peregre absentis mariti. Satis de modestiâ: misericordiae exempla in medium proferemus. Nulla umquam Graeciae civitas pauperum necessitatibus tam diligenter consuluit. Nam sicut nolebant quemquam desidiâ

languere, eique vitio etiam occurrerant constituendâ γραφῇ ἀργίας, lege a Dracone, uti videtur, latâ: ita humanissime subveniebant iis, qui cum secundâ fortunâ digni essent, eâ uterentur adversâ. Quis nescit illas ἑταιρείας, sive sodalitates, quae non modo conviviorum caussâ jungebantur, sed eo etiam consilio, ut se invicem adjuvarent sodales. Eodem pertinebat ἔρανος, stips collatitia, quae eâ lege conferebatur, ut si rursus emersisset, qui acceperat, quantum illi erogatum erat, tantundem restitueret. Nec in ullâ aliâ urbe Graecorum publice subveniri solitum fractis corpore constat et caussariis, nisi Athenis. Et nota est Misericordiae ara, posita in foro Atheniensium, qui ei numini singularem quendam honorem habebant.

Illuc redeo. Vocat enim ille inter Atticae philosophiae principes eximius Aristoteles: Qui quidem verissimam illam praeceptoris vocem constanter tenuit, omnem doctrinam ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri; eratque in illo ea cupiditas, quam idem Plato in philosophi indole inesse voluit, disciplinae non unius alicujus, sed universarum. Cui studio cum ingenium responderet, consecutus ille hoc summum est, ut in omnes partes intelligentiam converteret, et literarum universum quasi orbem non modo mentis cogitatione, verum etiam scriptione complecteretur. Idem, unus homo, de rebus diversissimis, de siderum motu, ordine et intervallis, de elementorum vi et ratione, de plantarum, animantium, lapidum varietate et generibus subtilissime exposuit, et plurimarum artium, quae adhuc apud Graecos effloruerant, indolem naturamque ad rationis praecepta primus retulit. Hunc igitur suspiciant ii philosophi, qui cum vixdum unius saepe artis rationem recte tenent, tamen suo supercilio, tamquam Atlante coelum, universam rerum naturam niti opinantur. Ab hujus viri ludo itemque ab Academiâ, tamquam ex omnium artium officinis, oratores, imperatores ac rerum publicarum principes profecti sunt, ab his mathematici, medici, poëtae, musici denique exstiterunt.

Videre Vos opinor, quam latus orationi meae campus pateat, si, quae hoc loco se offerunt, persequi atque in sin-

gulis Academiae, Lycei, Stoae et Epicuri hortorum ornamentis subsistere et immorari velim. Sed non committam, ut cuiquam videar transilire eos terminos, quos initio pepigi. Itaque omittam illos Academicos, Arcesilam, Carneadem, Philonem, Antiochum, alios; neque magis dicam de perpetuâ illâ Peripateticorum eâque nobilissimâ familiâ, Theophrasto, Clearcho, Dicaearcho, Heraclide Pontico, Aristoxeno, aliisque, quos enumerare longum est. Tacebo universam Zenonis Chrysippique rationem, qui cum contractioris quasi adstrictiorisque orationis essent, tamen rerum a se traditarum luminibus non minus, quam Polygnotus et Micon, illam porticum nobilitarunt, unde eorum secta nomen invenit. Quid porro Epicurum dicam, cujus doctrina sanctitate vitae excusatior apparuit? Quid Cyrenaïcorum magistrum Aristippum, qui gravissime docuit, philosophiae studiis homines in veram libertatem vindicari? Quid Megaricos, quid Eliacos et qui reliqui plurimi ex Atticâ philosophiâ exorti sunt?

Neque postea, fractis ad Chaeroneam Graecorum opibus, literarum honor, quo Athenae floruerant, vetustate obsolevit. Nam inde ab Alexandri aetate, patefacto terrarum orbe, latius etiam evagata Atticorum humanitas suis beneficiis et Asiae magnam partem et alias terras complexa est. Taceo plurima: illud attingam, cum mortuo Alexandro bellis continuis divexati Graeci alias ex aliis partes sectari coacti essent, et Athenae quoque a Demetrio Poliorcete defecissent, hunc ipsum regem, exoratum a Cratete philosopho, illarum incolis humanissime veniam dedisse. Illius aequalis Demetrius Phalereus non minus inclaruit. Qui cum rem Atticorum publicam optime gessisset, ex patriâ pulsus ad Ptolemaeum se regem Alexandriam contulit; ibique praefectus illi bibliothecae, ut Ciceronis verbis utar, multa praeclara in calamitoso otio scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus, sed animi cultus erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Et quemadmodum Athenienses tunc quidem ingenii sui bona cum Aegypto, suarum religionum parente, communicaverunt: sic iidem multos doctos homines, expulsos Ptolemaei Physconis saevitiâ, ad suos Lares redire

viderunt, et benignissime receptos aluerunt. Quapropter ea urbs, quam olim communem Graeciae focum dixerat Pythia, tunc quidem communis eruditorum omnium focus poterat haberi. Antiochi Magni res quam vim in ejus civitatis conditionem habuerint, notum est. Illius impetu represso A. Atilius Romanae classis praefectus Atheniensibus fame laborantibus maximam tritici copiam distribuit; quo facto frugum antiquitus inventarum beneficium in summâ inopiâ quodammodo retributum posset videri.

Subsecuta sunt graviora tempora. Nam, ut alia taceam, Romanorum opibus in immensum crescentibus, Mithridates rex Ponti in Graeciam ingressus, primariam illam urbem ceperat. Quam deinde Sylla armorum vi recuperavit, et gravissime afflixit. Atque tunc primum factum est, ut Aristotelis scripta transportata Romam, terrarum dominis innotescerent. Quae res quam vim habuerit, nemo nescit, qui et horum librorum praestantiam norit, quibus plurimarum ratio disciplinarum consignata est, et secum reputaverit, quot populi deinceps per labentium seculorum decursum usque ad renatas literas ab ejus hominis ingenio velut ex uberrimo fonte suam scientiam certatim repetierint. Itaque Athenae, quae Homerum suâ quasi civitate donarunt, quae Platonem in lucem ediderunt, eaedem et doctissimum philosophorum Aristotelem ad perpetuam posteritatis memoriam commendarunt.

Adeo deinde, ut huc redeam, certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper et in omni re, quidquid sincerâ fide gereretur, id Romani Atticâ fieri praedicarent, referente ipso Romano rerum scriptore. Post pugnam Pharsalicam Julius Caesar Atheniensium civitati, quae cum Pompejo fecerat, majorum gratiâ ignovit. Pacato terrarum orbe illuxit Atticis literis laetior dies. Qui enim ex Romanis harum tractationi operam dabant, ii fere Athenas mittebantur, quas ab hac re Propertius *doctas* appellat. Quid ego Pomponium memorem, quem non cognomen solum Athenis deportasse Cicero dicit, sed humanitatem etiam et prudentiam. Tantum ei urbi tribuebat is, quo ipso nemo

Romanus nec prudentior umquam nec humanior fuit, quique et ipse in iis debet haberi, de quibus poëta:

— — tibi cor, limante Minervâ,
Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenae.

Retinebant autem Tullii quoque aetate Athenienses praeclaram laudem suavitatis, ut eo judice eruditissimi homines Asiatici a quovis Atheniensi indocto non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo viderentur superari.

Imperatorum quoque Romanorum ut quisque humanissimus fuit, ita fere illam urbem liberalissime habuit. Hadrianum constat eam restituisse, exornasse gymnasio, et bibliothecâ instruxisse, exhilarasse etiam Periclis exemplo Dionysiis celebrandis edendisque agonibus, ut alia praeteream. Idemque urbis partem de suo nomine Hadrianopolim vocari voluit. Tam egregia consilia imitatus est Antoninus Pius. Marco Vero Aurelio Imperatore tum eloquentiae suae doctrinaeque luce eam collustravit, tum suis ex opibus liberalissime recreavit Herodes ille Atticus. Neque a patriâ virtute defecerunt Athenae, postquam Christiana sacra amplexae erant; singularique pietate commendabiles insigniter floruerunt et constitutis Imperatorum munificentiâ disciplinarum cathedris et haud exiguâ docentium discentiumque frequentiâ.

Nunc, quando ad orationis clausulam ventum est, Auditores, ubi ea, quae exposita sunt, quo altius in auditorum memoriâ infigantur, breviter ac summatim colligi solent, equidem hoc melius facere nequeo, quam verbis unius eloquentissimi omnium Romanorum, Ciceronis. Ita enim ille in oratione pro L. Flacco: „Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae atque in omnes terras distributae putantur: de quorum urbis possessione propter pulchritudinem etiam inter deos certamen fuisse proditum est: quae vetustate eâ est, ut ipsa ex sese suos cives genuisse dicatur, et eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur: auctoritate autem tantâ est, ut jam fractum prope ac debilitatum Graeciae nomen hujus urbis laude nitatur.“ Haec ille.

Ego autem quamquam optime sentio hoc tot tantarumque rerum gravissimum argumentum adumbratum tantummodo a me esse, et extremis duntaxat lineis descriptum: tamen ea sufficere existimo, quo intelligatur, eam urbem non modo procreatricem humanitatis fuisse, verum altricem etiam, eandemque hanc virtutem per terrarum orbem latissime utilissimeque propagasse. Jam equidem hoc loco possem evagari latius, atque tum repetitis ex majorum memoriâ, tum vivis ac spirantibus exemplis confirmare, quantopere in plurimis rebus Vestra civitas veterem illam omnis humanitatis parentem civitatem referat, et quam vere illa communi prudentissimorum hominum consensu Athenarum Batavarum nomine appelletur.

Sed avocat me ab eo consilio et temporis ratio, quae me finem imponere orationi admonet, neque ea res, dudum pro suâ dignitate ab hominibus me multo doctioribus celebrata, meae vocis testimonium desiderare videtur.

Quocirca illud unum agam, ut Vos commonefaciam ejus rei, quam a Vobis teneri mea maxime refert. Nostis enim, in illis Atheniensium virtutibus eminuisse praecipue humanitatem erga peregrinos; ut etiam Pericles apud Thucydidem hoc nomine cives suos dilaudet, eosque neminem quemquam a suae disciplinae elegantiaeque fructu arcere profiteatur. Jam cum *Augustissimi Regis Vestri* auctoritas, *Curatorumque hujus Academiae* consilium me, quod Vestris rebus meâ qualicunque operâ nonnihil prodesse viderer posse, peregre huc arcessiverit, Vos nunc ego eâ, qua par est, observantiâ rogo, ut, quod peregrinus sum, nihilo me minus idcirco humanitate Vestrâ complectendum judicetis. Neque ego ex aliqua barbariâ huc delatus veni: Heidelbergâ evocatus veni; quae civitas, et ipsa dedita optimarum artium studiis, religionibus autem sanctissimis Vestrae reipublicae juncta antiquitus, hodieque Vestris laudibus commodisque, tamquam suis ipsa bonis et decoribus humanissime laetatur. Equidem Vobis invicem polliceor sancteque promitto, me, quantum in me est, effecturum, ut neque fides mea nec strenuum Vestrarum rerum studium umquam in me desiderari possit.

Vos jam mea oratio compellabit, Humanissimi Commilitones, qui hac illustri literarum sede honestissimis studiis operamini. Non est, quod Vobis explicem, quam vim bonarum artium tractatio habeat, quibusque eae rebus maxime contineantur, quando et iis ceterarum disciplinarum magistris utimini, qui et vocis et exempli sui auctoritate hujus rei gravitatem egregie declararunt; et vero in his ipsis artibus ei doctori operam datis, qui eas ingenii sui doctrinaeque splendore insigniter illustravit. Hic Vobis et verbis et quotidiano usu luculenter monstrare solet: non id agi in hac disciplinâ, ut literarum apices sectemur, ut ad syllabas adhaerescamus, et in minutis neque liberalis hominis studio dignis quaestiunculis tempus teramus: sed, quoniam recte cogitandi sapiendique intelligentia et usus e veterum scriptis velut ex limpidissimo perennique sapientiae fonte ducatur, qui nonnisi verborum sermonisque Graeci Romanique accuratâ scientiâ recludi et aperiri queat, propterea faciendum esse, ut in verborum cognitionem et utriusque sermonis usum nos penitus insinuemus. Ab eo viro Vos instituti nostis, non huc spectare nostrae vim disciplinae, ut fabularum nugas aucupemur, recoquendisque vulgaribus rebus bonum otium perdamus: verum huc spectare, ut interpretandis Graecis Romanisque scriptoribus, a quibus omnium disciplinarum ratio manavit, maximarum rerum cogitatione evehamur, quae ad vitam humanam, ad rempublicam pace belloque administrandam, ad legum, jurum cognitionem, ad artem medicam et sacram in primis doctrinam vel maxime faciunt; quibus ingenia conformantur, mores emendantur ac reguntur, quibus animus ad rerum pulchrarum sensum mitigatur et excolitur, uno verbo, quibus ipsa humanitas continetur.

Neque Vos ego nunc admonebo, ut omni adhibitâ industriâ earum artium laudem fructumque consequi studeatis. Hoc Vobis significatum volo, me, excellentissimorum Collegarum exemplo, id unum acturum, ut Vestris rationibus consulam, et quantum conniti atque efficere potero, tantum me collaturum ad honestissima studia adjuvanda, Vestraque ingenia Graecarum literarum antiquitatisque usu

excolenda. Cumque omnes perpetuo curae meae eo dirigentur, ut possim quam plurima meae erga Vos voluntatis documenta dare: nihil mihi quidquam gratius poterit accidere, nihil mea magis studia incitare, quam si Vos in hoc praestantissimorum virorum domicilio ad eorundem laudes naviter contendere videro.

Summe DEUS, qui me in hac bonarum artium sede collocasti, et ea a me juvenibus tradi voluisti, quae possint immortalibus eorum animis prodesse: huic tam sancto muneri annue, mearumque virium tenuitatem Tuo robore confirma. REGEM nostrum, quem vices Tuas in hoc populo gerere jussisti, salvum sospitemque praesta, quo possit tantis curis sufficere. LITERARUM item MODERATOREM et hujus Academiae CURATORES Tuâ sapientiâ illustra, ut huic saluberrime consulant. Praeceptorum porro studiis benignissime adsis eaque ad Tuum honorem dirigas. Suscipe tandem hanc Juventutem, quam nostrae fidei credidisti, eorumque animos ad innocentiam eaque, quae sola perennia sunt, converte.

ANNOTATIO.

P. 73. *Cum Pisone*] Locus est apud Ciceronem De Finib. V. 1. coll. cap. 2. ubi legitur: „Ego autem tibi, Piso, adsentior, usu hoc evenire, ut acrius aliquanto et adtentius de claris viris locorum admonitu cogitemus." *Ibid.* „Hoc autem tempore, etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum, tamen ego illâ moveor exedrâ. Modo enim fuit Carneades, quem videre videor (est enim nota imago), a sedeque ipsâ tanti ingenii magnitudine orbatâ desiderari illam vocem puto." Cic. de Off. I. 1. de Athenis et Cratippo: — „propter summam et *doctoris* auctoritatem et *urbis*, quorum alter te scientiâ augere potest, altera exemplis." Diversum judicium est Socratis apud Platonem in Phaedro p. 230 D. *τὰ μὲν οὖν χωρία καὶ τὰ δένδρα οὐδέν με θέλει διδάσκειν, οἱ δ' ἐν τῷ ἄστει ἄνθρωποι.* Quem tamen universum Platonis locum ante oculos videtur habuisse Cicero. Ceterum cf. Atticus ap. Ciceron. de Legg. II. 2. 4, in eandem, quam Tullius de Offic. l. l. attigit, sententiam dispu-

tans; ubi vid. Moseri annot. p. 161. Adde de Offic. I. 22. 75, ubi Solon et Themistocles inter se componuntur. Pertinent haec ad quaestionem a variis scriptoribus institutam, in his a Plutarcho in Declamatione: *Bellone an doctrinâ clariores fuerint Athenienses;* qui rhetorice magis quam verius secundum bellicam laudem judicat, notatus hoc nomine a doctissimo interprete, hanc universam causam breviter sed subtilissime dirimente, ita ut potius secundum doctrinam artesque, quibus Athenienses inclaruerint, pronuntiandum sit. Vid. Wyttenbachii Animadverss. in Plutarchi Moralia Tom. III. p. 135—137. ed. Oxon. minor. — Quod ipse vero in hoc libello nonnulla complexus sum, quae ad laudes Athenarum pertinentia magis antiquâ famâ hominum prodita reperiuntur, quam certâ fide scriptorum: existimabam mihi idem licere quod aliis, qui *orationes* conscriberent, non *historias.*

P. 74. *Quacunque ingredimur*] Cicero de Fin. l. c.

P. 77. *De — Athenis*] Praecipuas Athenarum laudes strictim persecutus est Menander Rhetor. Sect. II. et III. de laudibus urbium; v. praecipue Sect. III. C. I. p. 96. ed. Heeren. etc. II. p. 98—107. Libanii epist. 16. p. 30. ed. Wolf et cf. Raoul-Rochette Histoire critique de l'établissement des colonies Grecques Tom. I. p. 140.

P. 79. *Cecropem*] Meurs. de Fortuna Athenarum Cap. I. ibique Athen. L. XIII. et Justin. L. II. 6. 7. Ante Deucalionis tempora (Athenae) habuerunt Cecropem; quem, ut omnis antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, *quia primus marem feminae matrimonio junxerit,* — cum *ante* promiscuis congressibus uterentur. Cf. de Cecrope Diodor. Sic. I. 28. Plutarch. de S. N. V. ed. Wyttenb. p. 21. not. p. 36. Suidas h. v. Add. Raoul-Rochette Hist. d. Colonies Grecques I. p. 191 sqq. et Symbol. ac Mytholog. nostr. II. p. 35. 286. 391. 655. 727.

P. 79. *Saïtarum*] An Theopompus rerum scriptor Athenienses dixerit Saïtarum colonos, non certo constat. Africanus quidem ab Euseb. P. E. X. 10. p. 491. ed. Colon. diserte prodit, *ἀποίκους* usurpans, sed laudato *Τρικαράνῳ*, qui liber dubiae auctoritatis est (vid. Aristidem de laudibus Romae Tom. I. p. 211. Jebb.). Alii *ἐποίκους*, *accolas*, *inquilinos* Saïtarum a Theopompo dictos malunt. Charax tamen, ipsis Aegyptiis consentiens, *colonos.* Vid. Scholia in Aristid. Panathenaic. p. 9 sq. ed. Frommel. Contra Callisthenes et Phanodemus Athenienses Saïtarum Patres tradiderant. Proclus in Plat. Tim. L. 1. p. 30. Vid. Meurs. de Fort. Athen. Cap. I.

P. 79. *Frugum inventarum*] Diodor. Sicul. XIII. 26. p. 561. Wesseling. Plinii Epistoll. VIII. 24. et Scholia in Aristid. Panath. p. 2 sq. ed. Frommel. Uberius hanc rem exposuit Heynius v. c. in Opusc. Acadd. I. p. 353.

P. 80. *Cererem*] Ovid. Metam. V. 643 sqq.

P. 80. *Ager Rharius*] De agro Rhario et Triptolemo cf. quos laudat Ruhnken. ad Homeri Hymn. in Cererem v. 96. 450. 480. et Hey-

nius v. c. ad Apollodor. Observ. p. 27. ed. alt. Praecipue consulendi Meursius in Eleusin. Attic. Leott. et Athen. Attic. Munckerus ad Hygin. 147. Verheyk. ad Antonin. Liberal. I. 24. Sancto-Crucius sur les mystères Tom. I. p. 112. 124. 210 sq. et 265. ed. Silvestre de Sacy. Boettigerus Imagg. in Vasis exhibitarum I. 2. 197. Chateaubriand itinerar. Hierosolymit. I. p. 95. versionis german. Pouqueville Voyage dans la Grèce Paris 1820. Tom. IV. p. 118 sqq. Fr. Gottl. Welcker Zeitschrift zur Geschichte und Auslegung der alten Kunst I. p. 96 sqq. et Symbol. ac Mytholog. IV. p. 337 sqq. ed. alter. Erat autem in Sophoclis fabulis etiam *Τριπτόλεμος*. — Primum Atticorum frumentum *hordeum* fuit. V. Heyn. Opusoc. l. c. Hinc ille ritus Atticorum glandes spinasque et panes afferendi in nuptiis et initiis cum voce solemni, quae in proverbium cesserat, *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον*, Hesych. Tom. I. p. 1557. Alberti ibiq. interprr. Suid. I. p. 926 sqq. Kuster. Hinc item *κριθῶν* (hordei) mentio in formulâ jurisjurandi, ab ephebis Atheniensium in sacello Aglauri dari soliti, teste certe Plutarcho in Alcib. 16. p. 20; quo de loco consule Baehrii nostri annot. p. 143. et Osanni animadverss. in Lycurgi orat. adversus Leocrat. p. 77 sq. et p. 96. Eâdem cum re conjuncta est Cereris invocatio in jurejurando Heliastico; de quo vide J. Theod. Voemelii Commentation. de Heliaea Francof. ad Moen. 1822. p. 26 sq.

P. 80. *Quorum unum*] Homericum Hymnum in Cererem.

P. 80. *Aliis — populis — profuit*] Isocrat. Panegyr. cap. 6. p. 21. ed. Morus: *οὕτως ἡ πόλις ἡμῶν οὐ μόνον θεοφιλῶς* (Menander Rhetor de encom. Sect. III.) *ἀλλὰ καὶ φιλανθρώπως ἔσχεν, ὥστε, κυρία γενομένη τοιούτων ἀγαθῶν, οὐκ ἐφθόνησε τοῖς ἄλλοις, ἀλλ' ὧν ἔλαβεν, ἅπασι μετέδωκε.* Coll. Thucyd. II. 40. ubi Pericles ita: *οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες, κτώμεθα τοὺς φίλους.*

P. 80. *Buzyges*] Atheniensis heros, qui aratrum dictus est invenisse, quod alii a Triptolemo factum referunt. Plin. H. N. VII. c. 56. cf. Hesych. in *Βουζύγης*, ibid. interprett. cf. Interprett. ad Polyaen. I. 5. Servius ad Virg. Georg. I. 19: „Epimenides, qui postea Buzyges dictus est secundum Aristotelem.“ De Epimenide cf. Heinrichii libellus. E tribus arationibus sacris, quas Athenienses obibant, una *βουζύγιον* vocata est. Plutarch. Praecept. Conjug. p. 144 A. et Wyttenbachii Animadvv. p. 896 sq. ed. Oxon. minor. Adde Symbol. et Mytholog. nostr. I. p. 484. II. p. 734 sq. IV. p. 122 sq. ed. alter.

P. 80. *Exsecrationibus*] Cicero de Offic. III. 13. init. Valckenar. ad Herodot. 231. Clem. Alex. Strom. II. p. 503, 17. ed. Potter.

P. 81. *Ciceroni*] De Legg. II. 14. De mysteriorum primordiis in Atticâ cf. Callim. Hymn. in Cer. ib. Ezech. Spanh. De immortalitate in mysteriis traditâ disputavimus in Dionyso I. p. 296 sqq. De religionum efficacitate in erudiendis gentibus antiquissimis conf. Philippi Guil. van Heusde Diatribe in civitates antiquas p. 20 sqq.

P. 81. *Materiam desumerent*] Cf. Isocratis Panegyr. c. 5. p. 20. ed. Mor. ubi maximorum beneficiorum ab omnibus praedicatorum Athenae dicuntur effectrices. Tum sequitur cap. 6. egregius locus de mysteriorum Atticorum beneficio. Alios tamen indidem reprehendendi ansam arripuisse nemo nescit. Vid. modo Philostrati Vitam Apollonii VI. 20. p. 260. Olear. quem locum nuper expediit G. Joseph. Bekkerus in Specim. in Philostrati Vit. Apollon. p. 52.

P. 81. *Quae ibidem nocturno aditu occultata fiebant*] Poeta apud Ciceron. de Nat. Deorr. I. 42.

P. 81. *Ex communi origine*] cf. Meurs. de Fort. Ath. Cap. II. et quos ille laudat Sophoclis in Oed. Col., Eurip. in Hippolyto et Aeschyli in Persis itemque Ciceronis locos.

P. 82. *Intactae — ut poëta ait*] Horatius Carmm. I. 7. 5: — „intactae Palladis arces" —

P. 82. *Paciferae* etc.] v. Ausonius in Catalogo Urbium:

Nunc ut terrigenis patribus memoremus Athenas,
Pallados et Cossi quondam certaminis arcem,
Paciferae primum cui contigit arbor olivae.

cf. Virgil. Aeneid. VIII. 116; quem locum Ausonius ante oculos habuit.

P. 82. *Commune — Graeciae prytaneum*] Eustath. ad Iliad. B. v. 546: *ὅτι δὲ καὶ ἄλλως πολὺ τὸ σεμνὸν αἱ Ἀθῆναι πάλαι ποτὲ εἶχον, δηλοῖ καὶ ὁ εἰπὼν τὰς Ἀθήνας Ἑλλάδος Μουσεῖον. ἔτι δὲ καὶ Πίνδαρος Ἑλλάδος αὐτὰς ἔρεισμα καλέσας, καὶ Θουκυδίδης Ἑλλάδος Ἑλλάδα. καὶ ὁ Πύθιος ἑστίαν καὶ πρυτανεῖον τῶν Ἑλλήνων.* Quae ex Athenaeo fluxerunt, vid. Lib. V. cap. 12. ibique Casaub. et Schweighaeuser. p. 47. et Lib. VI. cap. 65. ubi de Athenis ita: *ἣν μὲν ὁ Πύθιος ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος ἀνεκήρυξε· πρυτανεῖον δὲ τῆς Ἑλλάδος ὁ δυσμενέστατος Θεόπομπος.* Cf. Wesseling. ad Diodor. XIII. 27. p. 562. Respicit editam Lacedaemoniis sortem, cum post captas a Lysandro Athenas Apollinem consulerent, quid eâ urbe facerent. Respondit enim, *τὴν κοινὴν ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος μὴ κινεῖν.* Aelian. Var. Hist. IV. 6. Imitatus est *Synesius* Epist. 335. *Ἀθῆναι — ἑστία σοφῶν.* Locum laudavit Corsini Fast. Att. IV. 202. Itaque hujus encomii Athenarum quatuor praecipue sunt fontes: in *Apollinis Pythii* responso, in *Pindari Sophoclisque* (Oedip. Colon. 58.) praedicatione, in epigrammate *Thucydidis*, in *Theopompi* dicto. Epigramma Thucydideum laudatum ab Athenaeo illustravit Jacobsius V. Cl. ad Antholog. Gr. I. 1. p. 335. qui d'Orvillium ad Chariton. p. 120. laudat; adde Ducker. et Gottleber. ad Thucyd. II. 41. init. De versibus Pindari consule Wyttenb. Animadvv. in Plutarch. de gloriâ Atheniensis. VII. p. 152.

P. 83. *Ferro — in pace deposito*] Huc facit Thucydideus locus in prooemio I. 6. ubi Graeciae populi testari dicuntur, similia vitae instituta olim apud omnes obtinuisse. *Omnium autem primi Athenienses*

dicuntur ferrum deposuisse et remissiorem cultum secuti ad genus vitae lautius transiisse. Isocrates autem in Panegyr. Cap. V. p. 19. ed. Mor. hanc urbem dicit τῆς — κατασκευῆς, ἐν ᾗ κατοικοῦμεν, καὶ μεθ' ἧς πολιτευόμεθα, καὶ δι' ἣν ζῆν δυνάμεθα (i. e. per quam vitam vitalem sive vere humanam vivere possumus) σχεδὸν ἁπάσης αἰτίαν. cf. Cap. X. p. 29.

P. 83. *Orpheus — bestias — traxerat*] Vid. C. Phil. Kayser ad Philetae Coi Fragg. VIII. p. 48. et cf. Symbol. ac Mytholog. III. 143 sqq., ubi etiam de Musaeo et Eumolpidis agitur IV. p. 340 sqq. et p. 355.

P. 83. *Epimenidem — arcessitum Athenas*] Plutarch. in Solone p. 84 D.

P. 83. *Itaque prisci*] Cf. not. ad p. 80. *aliis* etc. Add. de Athenarum φιλοξενίᾳ Isocr. Panegyr. C. XI. init. Atheniensium *misericordiae* exemplum in historiâ Pelasgorum Tyrrhenorum adnotavit Larcherus V. S. Chronolog. Herodot. (VII.) p. 248 sqq. ex Herodoti L. VI. c. 137. (cf. Aristoph. Avib. v. 831. ibique Bekkii not.) Sequentia eventa belli Athenienses inter Pelasgosque (quae etiam attigit Aristides Panathenaico) aliter tradiderat Hecataeus Milesius ap. Herodot. VI. 137. Vid. Fragmm. Historr. Graecc. antiqq. p. 41 sq. ed. nostr. Quae item misericordia comparuit in historiâ Heraclidarum, denique in rebus Ionum; vid. Isocrat. Paneg. C. XIV. XV. XVI. cf. Aelian. V. H. L. IV. c. 6. L. VI. c. 10. ibiq. Periz. In primis tenenda est Pausaniae I. 17 init. disputatio de *humanitate* (φιλανθρωπίᾳ) Atheniensium, de eorum pietate in deos (εὐσεβείᾳ), itemque de aris Misericordiae (Ἐλέου), Pudoris (Αἰδοῦς), Famae (Φήμης) et Alacritatis (Ὁρμῆς); ubi v. Siebelis in Annott. p. 53 sq. cf. Συναγωγ. λέξ. χρησ. in Imm. Bekkeri Anecdott. grr. p. 355. 15. 16; viros doctos in Steph. Thes. L. gr. Lond. p. 1460 sq. Lud. Heller ad Soph. Oed. Col. vs. 230. p. 281. ed. Doederlein et Heller; et de pietate in deos (δεισιδαιμονίᾳ) Valcken. Scholas in Actt. Apost. XVII. 22. p. 551. Cf. etiam quae infra citavimus ad verba *Misericordiae ara*.

P. 84. *Daedalus*] Ejus fugam in Siciliam narraverant Ephorus L. VI. et Philistus L. I. Historiarum, uti Heynius ex Theon. Progymnasm. C. II. conjicit. Loca insigniora de Daedali historiâ sunt ap. Diod. Sic. IV. 76—79. Pausan. I. 4. et IX. 55. Schol. Eurip. Hecub. 838. 1648. De ejus inventis v. Plin. VII. 56. 57. De ejusdem in Cretam fuga Apollod. III. 15. 8. 9. De Daedalis et Daedaleis consule nunc Friedr. Thiersch. Ueber die Epochen der bildenden Kunst unter den Griechen I. p. 10. et p. 23 sqq.; de artificum vero antiquissimorum omnium indole ac ratione Leon. de Klenze in Boettigeri Amalthea III. p. 78 sqq.

P. 84. *Patentem — appulsui*] Vid. Platon. de Legg. IV. p. 704. Steph. p. 332. Bekker. cf. Lectt. Platonn. ad calc. Plotini de Pulcri-

tud. p. 463 sq. Alcmanis Fragmm. LXII. p. 66. ed. Welcker. adde Ciceron. de Republ. II. 3. ibiq. Annott. p. 202 sq. ed. Moseri. Athenas ex omnibus omnium orbis terrarum partibus omnia propter urbis magnitudinem importabantur: sic Pericles ap. Thucyd. II. 38. Laudat etiam Pericles ibid. c. 39. Athenienses διὰ τὴν τοῦ ναυτικοῦ ἐπιμέλειαν. cf. Meurs. de Fortunâ Athenarum Cap. IV. qui plures veterum locos attulit, ubi etiam de annonae vilitate. Add. Isocr. Panegyr. C. XI. fin. de Piraeeo, et Raoul-Rochette Hist. d. Colonies grecques Tom. IV. p. 101 sq.; itemque de coloniis Ionicis idem I. 2. III. 75 sq. De Mileto vid. Rambachii Comment. de Mileto ejusque coloniis. Halae Saxon. 1790. et Frid. Münteri Comment. Velia in Lucanien. Eine Beilage zu Hegewisch über die Colonien der Griechen. Altona 1818. p. 4 sqq.; ubi hic vir doctissimus etiam Phocaeae aliarumque Ioniae civitatum res attigit.

P. 85. *Solon*] De Solone sufficiat laudasse Plutarchum in Solone itemque Diog. Laert. in Solone; Dion. Chrysost. Orat. XXI. Gell. N. A. XI. 18. Senec. Epist. XC. Add. Meurs. in Solone, et Solonis Atheniensis Carmm. ed. Nicol. Bachius Bonnae 1825.

P. 85. *Ea respublica varie*] Atticae reipublicae vicissitudines ad Themistoclem usque strictim adumbravit Heraclides Ponticus in Fragmm. de Rebuspublicis cap. 1.

P. 85. *Atheniensium prudentissimus*] Cic. pro Rosc. Amerino c. 25.

P. 85. *Se — senem fieri*] Cic. de Senect. C. VIII.

P. 85. *Humanitatis plenissimas*] Fuit Atheniensium lex: τοὺς ξένους μὴ ἀδικεῖσθαι, v. Xen. M. S. II. 1. 14. Demosth. Neaer. II. p. 1374. Constituta et ἱκετείας religio, de qua v. Heynii Opuscull. Acadd. I. p. 213. Huc facere videtur Cic. de Off. III. 6. 6: „Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem; qua sublatâ, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur. Quae qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt.“ Ceterum de humanitate Atheniensium erga peregrinos locus primarius est Periclis in Oratione funebri ap. Thucyd. II. 39. τήν τε γὰρ πόλιν κοινὴν παρέχομεν, καὶ οὐκ ἔστιν ὅτε ξενηλασίαις ἀπείργομέν τινα ἢ μαθήματος, ἢ θεάματος. Quem locum expressit Aristides in Panath. observante Scholiastâ MS.-Leidens. p. 30 sqq. ed. Frommel. De animi magnitudine et humanitate populi Atheniensis in Lacedaemonios, Olymp. CII. 4. a Thebanis propemodum debellatos, insigne testimonium exstat apud Diodorum XV. 63. p. 51 sq. ed. Wessel.

P. 85. *Tanto temperamento — egit*] Justin. L. II. c. 7.

P. 86. *Educationem moderari*] Solon jussit Athenienses filios suos educare convenienter et ordini et facultatibus, quod item Aristoteles de Republ. VIII. 1. praecipi a legislatore debere contendit. Pauperum filios opificia saltem et artes sellularias (τέχνας βαναυσικάς) doceri

jussit Solon. Isocrat. Areopag. p. 333. Atheniensium pueri dimissi e gynaeceo, quod plerumque septimo aetatis anno fiebat, tradebantur binis praeceptoribus, quorum alter literas docebat, alter gymnasticen: v. Aristophan. Equitt. 188 sq. Plat. Protag. p. 289. Aristot. de Rep. VIII. 3. cf. Terent. Eunuch. III. 2. 23. Ad liberales artes (τροφὴν ἐλευθέριον) pertinebat gymnastice, itemque equitatio et venatio, cf. Plat. l. c. Petit. de Legg. Att. p. 163., et musica. Haec omnia jam Solonis aetate, quamquam Aristot. Rep. VIII. 6. post Persica demum bella musicae assidue operatos Graecos dicit. Et praemia diebus festis nonnullis constituta iis pueris adolescentibusque, qui lyrica carmina Solonis aliorumque optime cecinissent. v. Plat. Tim. p. 414. add. Aristoph. Nub. 955 sqq. ibiq. Scholiast. et Interprett. Postea quoque pingendo et delineando plures vacabant. v. Aristot. l. l. VIII. 3. Plin. H. N. XXXV. 10. Arithmeticae autem et geometriae imbuebantur omnes. v. Cic. de Orat. III. 32. Quintil. Inst. I. 10. Atque haec erant ἐγκύκλια παιδεύματα, a quibus discerni solitum eloquentiae studium*) et philosophiae. Diog. Laert. II. 79. VI. 103. De Atheniensium παιδείᾳ consulatur etiam Isocrat. Panegyr. II. 195—197. Plat. de Legg. L. I. p. 517 sqq. De paedotribis (παιδοτρίβαις) v. Perizon. ad Aelian. V. H. II. 6. Spanh. ad Aristoph. Nub. 969. His add. Meurs. de Fortunâ Athen. C. VIII. ibiq. laudd.

P. 86. παιδευτήριον] cf. Diod. Sic. L. XIII. 27. p. 562 ibiq. Wesseling. ubi Athenienses dicuntur κοινὸν παιδευτήριον παρέχεσθαι πᾶσιν ἀνθρώποις. Plautus Stich. Act. V. sc. 2 init.: „Salvete Athenae, quae *nutrices Graeciae.*“ „Quid vero illae, omnis plane doctrinae omnisque sapientiae parentes Athenae?“ Cicero, vel potius Sigonius in Consolat. ed. Froben. p. 326. Hemsterhusius ad Luciani Nigrin. §. 12. ait: Ceterum Atheniensibus ista veluti propria laus tribuitur, quod ad emendandos ineptorum mores, castigandamque vitae rationem multum valuerint: Athenas ergo Pericles ap. Thucyd. II. 41. esse dicit Τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν· et Dicaearchus p. 10. testatur, ὅσον αἱ λοιπαὶ πόλεις πρός τε ἡδονὴν καὶ βίου διόρθωσιν τῶν ἀγρῶν διαφέρουσι, τοσοῦτον τῶν λοιπῶν πόλεων ἡ τῶν Ἀθηναίων·**) eo spectat Menedemi dictum a Plutarcho laudatum de Adul. et Am. Discrim. p. 81. vid. p. 312. ed. Wyttenb. Habet autem ita: Εἰς δὲ τού-

---

*) Max. Tyr. Diss. XXIII. 2. p. 440. Reisk. — Ἀθηναῖοι λέγειν, καὶ ἔστιν ἡ περὶ τοὺς λόγους σπουδὴ τέχνη Ἀττική.

**) Ejus comparationis ratio expressa videtur ex Herodot. I. 60: ἐπεί γε ἀπεκρίθη ἐκ παλαιτέρου τοῦ βαρβαρικοῦ ἔθνεος τὸ Ἑλληνικόν, ἐὸν καὶ δεξιώτερον, καὶ εὐηθίης ἠλιθίου ἀπηλλαγμένον μᾶλλον· εἰ καὶ τότε γε οὗτοι ἐν Ἀθηναίοισι τοῖσι πρώτοισι λεγομένοισιν εἶναι τῶν Ἑλλήνων σοφίην κ. τ. λ. Et sic saepe haec res videtur declarari, ut tantum reliquis Graeciae urbibus antecedere dicantur Athenae, quantum illae urbibus barbarorum.

τους ἔοικε καὶ τῷ Μενεδήμῳ πεπαιγμένον εὖ λέγεσθαι· καταπλεῖν γὰρ ἔφη τοὺς πολλοὺς ἐπὶ σχολὴν Ἀθήναζε σοφοὺς τὸ πρῶτον, εἶτα γενέσθαι φιλοσόφους, εἶτα ῥήτορας, τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος ἰδιώτας· ὅσῳ μᾶλλον ἅπτονται τοῦ λόγου, μᾶλλον τὸ οἴημα καὶ τὸν τύφον κατατιθεμένους. Cicero de Orat. III. 11: „Sed hanc dico suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem, ut apud Graecos *Atticorum*, sic in Latino sermone hujus est urbis maxime propria. Athenis jam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, *domicilium* tamen in illâ urbe *remanet studiorum*."

P. 86. *Leges arcesserent*] cf. Plin. Epistol. L. VIII. ep. 24. Cic. pro Flacco 26. et quos Meursius laudat in Libro de Fort. Att. c. 1. Dionysii Halicarnassensis L. X. Livii L. III. et Silii Italici L. XIII. locos.

P. 87. *Occupavit Pisistratus*] cf. universe Meursius in Pisistrato Cap. XI. et quos ille laudat auctores.

P. 87. *Templum exstruxit*] Aristot. Polit. V. 11.

P. 87. *Bibliothecam — Scholam*] v. Suidas et Harpocration in *Λυκεῖον* et apud eos Theopompus, Gell. N. A. VI. 17. cf. Wolfii Prolegg. ad Homerum p. CXLV sq. Add. Cic. de Divin. I. 13.

P. 87. *Orpheum Crotoniaten — Homerum*] Cic. de Orat. III. 34: „Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cujus eloquentia literis instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus." cf. Wolfii Prolegg. p. CXLIII. ibique cum alios veterum locos, tum Anonymi ap. Allatium de Patriâ Homeri, qui (Anonymus) epigramma graecum addit adscriptum Pisistrati statuae, quo epigrammate Homerus Atheniensium civis dicitur, quandoquidem illi Smyrnam condiderint. — Suid. in v. *Ὀρφεύς*.

P. 87. *Hipparchus filius* etc.] Meursius l. c. Cap. XII. ibiq. Plato in Hipparcho p. 228 B. Add. Wolf. Prolegg. p. CXL sqq. praesertim CLIV. Heynii Excurs. ad Iliad. L. XXIV. T. VIII. p. 809. et Heinrichii Epimen. p. 157. coll. ejusd. Programmate de Diasceuastis Hom. p. 17 sqq.

P. 87. *Tantum abfuit, ut gravis exsisteret*] Thucyd. VI. 54. ib. Ducker.

P. 87. *Tamquam sub Saturno*] Plato in Hipparcho l. c. (si modo is Platonis habendus est).

P. 87. *Anacreontis — Simonidis*] cf. Plat. l. c. Aelian. Var. Hist. VIII. 2. ibiq. Perizon. adde P. G. Duckeri Dissertat. de Simonide Ceo. Traj. ad Rhen. 1768. et P. O. Broendsted Reisen und Untersuchungen in Griechenland. I. p. 67 sqq.; ubi etiam de reliquis doctis Simonidis civibus, ut de Bacchylide aliis.

P. 87. *Onomacrito*] quem tamen postea ejecit, quod Musaei oraculis aliquid inseruisset. Herodot. VII. 6.

P. 88. *Hermas*] In Platonico Hipparcho p. 228. Steph. p. 239. Bekker. duo exstant versus, Hermis inscripti: *Μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου· στεῖχε δίκαια φρονῶν·* alter ita: *Μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου· Μὴ φίλον ἐξαπάτα.* cf. de his Hermis O. Sluiteri Lectt. Andocidd. p. 37 sqq.

P. 88. *A Phrynicho poëta*] Herod. VI. 21. Longin. *περὶ Ὕψους* Sect. XXIV. p. 94. ed. Toup.

P. 88. *Sed erexit sese*] Athenienses honestis publicis privatisque recreationibus dolores excutiunt, ait Pericles ap. Thucyd. II. 38. ad quem locum Wassius laudavit hunc Pindaricum Nem. IV. init.

Ἄριστος εὐφροσύνα
πόνων κεκριμένων
ἰατρός· αἱ δὲ σοφαὶ
Μοισᾶν θυγατέρες ἀοιδαὶ
θέλξαν νιν ἁπτόμεναι.

cf. Lud. Dissenii Explicatt. in edit. Boeckhii II. 2. p. 380.

P. 88. *Μαραθωνομάχους*] v. Spanhem. ad Aristophan. Plut. 982. Interprett. ad Herodot. p. 705. 82. s. ed. Wessel. ibid. p. 566. 20. et 33. Valcken. ad Herodot. p. 264. 59.

P. 89. *Pericles*] Ejus ingenium pingit Thucydides loco illustri II. 65. cf. Cic. de Orat. III. 34.

P. 89. *Ἑλλάδος Ἑλλάς*] v. not. ad p. 14. add. Casaub. ad Theophrast. Charact. Prooem. p. 13. ed. Fischer, ibiq. Philo in libro, Quod omnis bonus liber p. 467. ed. Mang. cujus sunt verba: *ὅπερ ἐν ὀφθαλμῷ κόρη, ἢ ἐν ψυχῇ λογισμός, τοῦτ' ἐν Ἑλλάδι Ἀθῆναι.* Alciphron. Epist. II. 3. §. 64. ubi Menander in epistolâ ad Glyceram se videre ait *ὅλην ἐν ταῖς Ἀθήναις τὴν Ἑλλάδα, ὅλην τὴν Ἰωνίαν, τὰς Κυκλάδας πάσας.* Hinc etiam in votis memoratur: „*Ἀθηναῖος γενέσθαι*, cui adjungitur *βασιλεῦσαι, ἀθάνατος γενέσθαι*" in Teletis Fragmento ap. Stobaeum Tit. XCVII. p. 524. p. 273. ed. Gaisford.

P. 89. *Postea — permultas insulas — societ. necessitudine sibi devincta teneret*] cf. Guil. Groen van Prinsterer de Principatu (*ἡγεμονίᾳ*) Atheniensium. Lugd. Batav. 1820.

P. 89. *Argenti reditus e Laurio*] cf. Boeckh über die Laurischen Silberbergwerke in Attica. Berlin 1816.

P. 90. *Polygnotum*] Plin. H. N. XXXV. Sect. 34. Pausan. Att. (I.) 15. Nepos in Milt. VI. 16. interpr. cf. etiam Boettigeri Ideen zur Archäologie der Malerei p. 261 sqq. Universe de Athenarum pictoribus aliisque artificibus v. Isocr. Paneg. C. VIII. et XIII. Plin. l. c. Sect. 39. et 36. Hesych. v. *Σκιά.* Plutarch. Bellone An Pace Clar. Athen. Cap. II. p. 417 sq. ed. Wyttenb. Pausan. l. c. 17. 19. 20. et Eliac. c. 6. Athenaeus XIII. p. 591. Casaub. Cic. de N. D. I. 27. cf. Dr. Ludw. Schorn Ueber die Studien der Griechischen Künstler. Heidelberg 1818. — Color hujus loci ductus est e Mureti Or. VIII. p. 74. ed. Ruhnk.

P. 90. *Similitudinem duxerat*] Cic. Orat. 3.

P. 90. *Propylaea*] Plutarch. Pericl. cap. 13. Philochori Fragg. p. 55. Stuart Antiquities of Athen. Part. II. chap. 5.

P. 90. *Paulus — Aemilius*] Liv. XLV. 28. De Jovis signo consulendi Jacobs, Voelkel, Siebenkees, Toelken, Haus, Quatremère de Quincy et quos plures laudavi in Symbolica et Mythol. II. p. 530 sqq.

P. 90. *Parthenona — Minerva Phidiae*] Plutarch. l. l. J. Winckelmanni Opera IV. p. 116 sqq. 339 sq. 395—406. V. p. 562. ed. nov. Dresd. Quatremère de Quincy Le Jupiter Olympien p. 219 sqq. Letronne in Journal des Savans Octobr. 1817. De Parthenone accurate egit Ed. Dodwell in Itinerario II. 1. c. 2. Minervae Poliadis Sacra et aed. illustr. C. Odofr. Mueller Götting. 1820. Idem vir doctus de his aliisque Athenarum ornamentis egit in Ersch. et Gruber. Encyclopaedie VI. p. 238 sqq.

P. 90. *Apollodorum*] Plin. Hist. Nat. XXXV. 36. 1. cf. Wyttenbach. ad Plutarch. de Glor. Atheniens. p. 138. ed. Oxon. minor.

P. 91. *Polycletus*] Sicyonius. De ejus canone v. Cic. Brut. c. 86. Plin. H. N. XXXIV. 19 et 8. Quintil. XII. 10. Aelian. V. H. XIV. 8. De Polycletis, Sicyonio, Argivo inprimis vid. Friedr. Thiersch. Ueber die Epochen der bild. Kunst unt. d. Griechen II. 41. et p. 43 sqq. 62 sqq. itemque III. p. 79 sqq.

P. 91. *Tragoediâ animi purgationem*] Τὴν τῶν παθημάτων κάθαρσιν. Aristot. Poetic. VI. 2. Rhetor. II. 5. p. 125 sqq. ed. Gaisford. II. 8. p. 136. cf. Lessing Hamburg. Dramaturgie II. p. 198 sqq. et Hermann ad Aristot. Poet. l. l. p. 114.

P. 91. *Virum fortem — malâ fortunâ*] Seneca de Provident. cap. 2.

P. 91. *Dicebat Gorgias*] Plutarch. de aud. poet. p. 15 D. p. 57. Wyttenb. de Gloria Athen. p. 427.

P. 92. *Sumtuum faciebant*] Plutarch. l. c. p. 429. Isocr. Panegyr. C. XII. p. 32. ed. Mor.

P. 92. *Pindarum — suum esse voluerunt*] cf. not. ad p. 82. Ἀοίδιμοι Ἀθᾶναι (quae sunt verba Pindari) urbis nomen celebratissimum, v. Bibl. Crit. III. 1. p. 49. ibiq. Wyttenbachium ad Julian. Orat. (ed. Lips. Schaef. p. 144 sq.), de locis autem Pindaricis (ubi' modo λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι Ἀθᾶναι, modo Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθ.) vid. Schneider. ad Pindari Fragm. ex Dithyramb. X. p. 74 seq. ed. Heyn. Quae quidem deinceps varie expressa sunt a scriptoribus, vid. Hemsterhus. ad Lucian. Tim. T. I. p. 162. et Wyttenb. l. l. qui Lucianeum locum e Sophoclis Oed. Col. 58. non minus ductum monstravit quam ex Pindaro.

P. 92. *Attica — sanae eloquentiae*] Vid. Ruhnken. ad Vellej. Pat. I. 18. p. 72.

P. 92. *Civis Vester*] Ruhnkenius in Historiâ Criticâ Oratorum Graecorum, praefixâ Rutilio Lupo a Ruhnk. edito et Oratoribus Graecis Reisk.

P. 92. 93. *De concinnitate Gorgiae*] Vid. Diodor. Sicul. XII. 53. ibiq. Wesseling.

P. 93. *Apud Ciceronem*] Orator. cap. 13.

P. 94. *Bellicum — canere*] Cicer. Orator. cap. 12.

P. 94. *Philochorus*] De Philochoro, aliisque Ἀτθίδων scriptoribus vid. Jonsius de Scriptt. Hist. Philosoph. II. 9. p. 189. ed. Dorn. cf. Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. p. 341. 382. 420. 440. Add. Philochori et Androtionis Fragmenta ed. C. G. Siebelis. Lips. 1811. itemque Phanodemi, Demonis, Clitodemi atque Istri Fragg. ed. Siebelis. Lips. 1812.

P. 94. *Apollodorus — Meton*] cf. Corsini Fast. Att. III. 226 sq. de Apollodori Atheniensis Chronicis v. Heynii editio Apollodori T. I. p. 403.

P. 94. *Hippocratem*] v. quae hac de re contulit Meurs. de Fort. Ath. Cap. V. et quem ille laudavit Hippocratis locum, ubi Decretum ipsum insertum est.

P. 95. *Avocavisse eum — philosophiam*] Cic. Academ. I. 4.

P. 95. *Pudoris — specimen absolvit*] cf. Aristoph. in Nubib. v. 993. ib. Ernest. et Hermann., et Ruhnk. ad Tim. Lex. Pl. p. 5 sqq.

P. 95. *Ad coelum iter cognitum — habere*] cf. Athenaeus L. VI. c. 57. p. 25. cf. Casaub. (p. 461. Schw.) „*Οἱ δὲ δημαγωγοῦντες, φησὶν* (*Ἡγήσανδρος*), *Ἀθήνησιν κατὰ τὸν Χρεμωνίδειον* (corruptum, v. not. ad h. l.) *πόλεμον, κολακεύοντες τοὺς Ἀθηναίους, Τἄλλα μέν, ἔφασκον, πάντα εἶναι κοινὰ τῶν Ἑλλήνων, τὴν δ' ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπους φέρουσαν ὁδὸν Ἀθηναίους εἰδέναι μόνους.*

P. 96. *Ad — salubritatem*] Cic. in Bruto cap. 13.

P. 96. *Faceta — ironia*] Plutarch. Praecept. Ger. Reip. p. 210. Cic. de Orat. II. 67.

P. 96. *Commendari debebat etc.*] Aristotel. Magn. Moral. I. 31. Rhetor. III. 7. 18. p. 552. p. 255. ed. Gaisf. de Rep. VII. 17. Theophrast. Char. IV. Cicero de Fato cap. 4: „Athenis tenue coelum; ex quo acutiores etiam putantur Attici" cet., ubi plura adposui.

P. 96. *Dicacitas*] Aristot. Ethic. Nicomach. IV. 8. et in eum locum Caroli Zellii Commentar. p. 156 sqq. ibiq. laudd. Aristotel. Eudem. III. 7. Magn. Moral. I. 31. Anonym. de Virtutibus p. 759. et Barthélemy Voyage du jeune Anacharse T. II. chap. 20. p. 393.

P. 96. *Sale perspersa*] Cic. de Orator. I. 34 extrem.

P. 97. *Exhilararat*] cf. Pericles in Orat. funebri ap. Thucyd. II. 37.

P. 97. *Apud Thucydidem*] L. II. cap. 40 init. ubi est: *φιλοκαλοῦμέν τε γὰρ μετ' εὐτελείας καὶ φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας· πλούτῳ τε ἔργου ἐν καιρῷ ἢ λόγου κόμπῳ χρώμεθα.* vid. Interprett. ibiq. laud. Ruhnk. ad Hesych. v. *φίλος*. Morus ad Isocrat. Panegyr. p. 6 sq. cf. Jo. Winckelmann. Geschichte der Kunst Tom. VI. p. 20. et T. IV. part. 2. p. 35. ed. Dresd. nov.

P. 97. *Captis Philippi tabellariis*] Plutarch. Praecept. Reip. Gerend. p. 211. Wytt.

P. 98. γραφῇ ἀργίας] Herodot. II. 177. hanc legem quidem Soloni tribuit; sed Draconi potius tribuendam censent eruditi, vid. Valcken. ad l. l. De hac lege nuper item egit Wolfius in Explicat. Tabul. Aliment. Trajan. germanice scriptâ p. 8. not. ubi Petitus laudatur in Legg. Att. p. 520. doceturque ejus legis vestigia superesse in Cod. Justin. XI. 25. et in Novv. LXXX. c. 5. laudato Rothio, qui sigillatim hac de lege egerit.

P. 98. ἑταιρείας] De his vid. Van Dalii Dissertat. ad antiqua marmora IX. p. 728 sq. cf. Museum Atticum T. I. P. I. p. 109. De aliis ἑταιρειῶν consiliis vid. Boeckh Staatshaushaltung der Athener II. p. 264. et Guil. E. Weberi Dissertatio de Critiâ tyranno. Francof. ad Moen. 1824. pag. 16. Antiquitus harum sodalitatum origo a diis patriis repetebatur et a priscis regibus eae salubriter institutae (Plato de Legg. XI. p. 920 e. 921. p. 245 sqq. Bekkeri. Plutarch. in Numâ cap. 17.). Hinc variae σύνοδοι Graecorum, partim a Diis partim a sodalibus appellatae (Biagi de Decretis Atheniensium cap. XXII. p. 274 sqq.). Similes origines vicissitudinesque habuere Romanorum *Collegia*, *Sodalitates*, *Sodalitia*, quod postremum nomen illicitis potissimum collegiis adhaesit. (Vid. Dirksen. V. Cl. Civilistische Abhandll. II. I. p. 4 sqq. et cf. quae posuimus in Abriss der Römischen Antiquitäten 3. 148. p. 147 sq.). Unde de collegiorum multitudine a Clodio reductâ multiplicatâque Dio Cassius XXXVIII. 13. p. 159. Reimar. ita: *Καὶ τὰ ἑταιρικά, κολλήγια ἐπιχωρίως καλούμενα — ἀνενεώσατο.* Illorum autem collegiorum vestigia quaedam ad Byzantinorum usque adeoque ad Constantinopolis Turcarum, qualis hodie est, tempora pertinuisse, conjicias fortasse, si legeris quae graphice descripsit Jos. de Hammer in egregio libro Constantinopolis und der Bosporos II. p. 393 sqq.

P. 98. ἔρανος] v. Heraldus in Animadv. in Salmas. de usur. L. VI. c. 3. Is. Casaub. ad Theophr. Char. XV. p. 169. Fisch. Petitus in Legg. Att. p. 429. ed. Wessel. et interprett. ad Thucyd. II. 43. Add. Reiskii Indic. in Demosth. p. 368 sq.; Coray ad Theophrasti Charactt. p. 9. p. 166 sq. Boeckh. Staatshh. d. Athen. I. p. 264. Thorlacius in libro: Populäre Aufsätze das Griech. Alterthum betreffend. Lips. 1812. p. 87 sq. et Car. Zell. ad Aristot. Ethic. Nicomach. IV. 2. p. 132 sq.

P. 98. *Caussariis*] i. e. τοῖς ἀδυνάτοις. Vid. Wolfii libell. cit. p. 23. not. et, quem laudat, Taylor. ad Lysiae Orat. 24. p. 404 sqq. ed. Londin.

P. 98. *Misericordiae ara*] Pausan. Attic. c. XVII. init. Diodor. XIII. 22. p. 559. ubi Wesseling. luculentum in hanc rem Statii ex Thebaid. XII. 481. locum excitavit. Add. Winckelmann. Gesch. der

Kunst II. p. 10. ed. nov. Dresd. et confer quae supra posuimus in Annot. ad verba: *Itaque prisci illi Attici — peregrinis.* Misericordiae Atheniensium exemplum est etiam lex de suppliciis gravidarum mulierum post partum differendis, sumta ab Aegyptiis. V. Aelian. Var. Hist. V. 18. ibiq. J. Kuhn. Clem. Alex. Strom. II. p. 400 D. Plutarch. De S. N. V. p. 25. ed. Wyttenb. cf. hujus not. ad h. l. p. 40. Etiam hoc nomine laudabantur Athenienses, quod ab invidiâ (φθόνῳ) quam qui maxime abhorrerent. Demosthen. advers. Leptin. §. 118. 119. cum Scholiis p. 121 sq. ed. F. A. Wolf.

P. 99. *Peripateticorum — familiâ*] cf. Cic. De Fin. V. 3.

P. 99. *Neque postea etc.*] v. quae Heynius attulit Opusc. Acadd. T. I. p. 80. 88.

P. 99. *Ut Ciceronis verbis utar*] De Finib. V. 19. 54.

P. 99. *Ptolemaei Physconis*] Fuit is septimus Ptolemaeorum, et Κακεργέτης dictus. cf. Athenaeus IV. c. 73. p. 184 B. Casaub. (p. 194. Schweigh.)

P. 100. *A. Atilius*] Livius L. XXXVI. c. 20. Hoc factum Olymp. CXLVII. anno ½. vid. Corsini Fast. Att. IV. p. 102. cf. Liv. XXXVIII. 10. Hoc loco non abs re erit admonere Theophili, qui in Paraphras. Institutionum lib. I. tit. 2. p. 16 sq. Reitz. prodit, Athenienses, qui in sterili terrâ saepenumero advectitio frumento uterentur, negotiatoribus frumentariis vectigalis immunitatem impertiisse (τοὺς σιτεμπόρους ἀτελείας ἀξιοῦσθαι); unde multi in Atticam certatim importarint frumentum. Locus memorabilis, neque Petito aliisque cognitus.

P. 100. *Sincerâ fide — Atticâ*] Vellej. Paterc. II. 43. 4. ibiq. interprett.

P. 100. *Propertius*] Eleg. III. 21. 1.

P. 100. *Pomponium*] Cic. Cato maj. prooem.

P. 101. *De quibus poëta*] Martialis Epig. VI. 64.

P. 101. *Tullii quoque aetate*] Cic. de Orat. III. 11.

P. 101. *Illam urbem liberalissime habuit*] De libertate Graeciae atque ipsarum Athenarum sub Romanorum imperio exposuit Wyttenb. ad Plutarch. D. S. N. V. p. 462. ed. Oxon. min. et ad eundem in Institutt. Laconn. p. 1216.

P. 101. *Hadrianum constat etc.*] Pausan. Att. 18—20. De studiorum ratione, quae posteriore tempore Athenis obtinuit, vid. Meurs. de Fort. Ath. c. VIII. et, quos ille laudat, Philostratum in Apollonio Atheniensi, a quo πολιτικὸς θρόνος commemoratur, et Eunapium in Proaeresio, ubi memoratur σοφιστικὸς θρόνος. Cf. Boissonadii Annotatt. in Eunap. p. 95. 201 sq. 387. 489. et Wyttenbach. in eundem p. 45. Hae cathedrae collocatae erant ab Imperatoribus. Add. Cresollius in Theatr. Rhetorr. et Heeren. Gesch. des Stud. der Klass. Liter. Vol. I.

P. 101. *Marco — Aurelio*] v. quae congessit Meursius l. c.

P. 101. *Postquam Christiana sacra etc.*] Synesius Epist. 335: *αἱ δὲ Ἀθῆναι πάλαι μὲν πόλις ἑστία σοφῶν, τὸ δὲ νῦν ἔχον σεμνύνουσιν αὐτὰς οἱ μελιττουργοί.* Cf. Wyttenb. ad Plutarch. p. 1082; qui alium insuper Synesii locum in hanc rem excitavit. Addit idem, ne tunc quidem (hoc est saeculo V. post Ch. n. exeunte et ineunte VI.) prorsus vastatas squaloreque obsitas jacuisse Athenas, sed honestas adhuc familias Athenis floruisse *publicaque doctrinarum studia:* cf. Corsinus in Fast. Att. IV. 202. ad Ol. CCCXVI. Origenes contra Celsum L. III. cap. 30. Vol. I. p. 466 C. ed. Ruaei: *Ἐκκλησία μὲν γὰρ τοῦ θεοῦ, φέρ' εἰπεῖν, ἡ Ἀθήνησι, πραεῖά τις, καὶ εὐσταθής, ἅτε θεῷ ἀρέσκειν τῷ ἐπὶ πᾶσι βουλομένη, ἡ δὲ Ἀθηναίων ἐκκλησία στασιώδης, καὶ οὐδαμῶς παραβαλλομένη τῇ ἐκεῖ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ,* i. e. *Ecclesia* enim quidem Dei, age dicamus, Athenis mitis quaedam et bene constituta, quippe Deo placere, qui est super omnia, volens; at vero Atheniensium *concio* seditiosa et nequaquam comparanda ecclesiae Dei, quae illic est. Labentibus saeculis haec subinde in pejus mutata esse nemo mirabitur, qui quidem humanarum rerum vicissitudines norit. Sic, ut hoc utar, ad summos in ecclesiâ Graecâ Christianâ honores subinde promotum videmus hominem, *τὴν μὲν θύραθεν παιδείαν οὐ πάνυ ἠκριβωκότα*, teste Leone Diacono VI. 6. p. 62 sq. D; ad quem locum doctissimus Haseus p. 227. ita: „Dissuadebant multi in Graeciâ, tum omni medio aevo, tum maxime hoc (decimo) saeculo, profanas literas: quod qui iis a tenero imbuti essent, ad veritatem fidei caeciores putarentur.“ Subjicit locum S. Nicephori. — Ab istâ perversitate et abhorrere hodie eruditiores Graecorum et deterreri frequenti hortatu prudentiorum civium, nemo est paullo humanior quin libenter inaudiat. Ceterum cf. eruditissimi Graeci Adam. Corayi Mémoire sur l'état actuel de la civilisation en Grèce Paris 1803. et quae nuper admodum graviter hoc de argumento disputavit doctissimus Broendsted in Reisen und Untersuchungen in Griechenland I. p. XVII sqq. et p. 76.

P. 101. *Ciceronis — in Oratione pro Flacco*] Cap. XXVI. cf. Wesseling. ad Diodor. XIII. 27. p. 562. et Biagi de Decretis Atheniensium cap. XX. §. 9. p. 257.

P. 101. *Humanitas*] Humanitas h. l. ob ea quae sequuntur (opponitur enim immanitati) est illa animi morumque conformatio universa, qua homo quasi *magis homo* exsistit, notatque eam mansuetudinem urbanitatemque, quae doctrinâ, legibus etc. efficitur. Aliis in locis, ubi *literae* junguntur voci *humanitatis*, haec ipsa solum *urbanitatem* significat, vel *leporem;* ut Verrin. Or. III. 4. Plura dabit Ernestus Clav. Cic. s. humanitas fin. cf. Nepos in Attico c. 3 fin., ubi item humanitati subjicitur doctrina.

P. 101. *Inter deos certamen*] i. e. inter Neptunum et Minervam, de quo vid. Apollod. III. p. 192. Nonn. Dionys. XXXVII. 320 sq. 345,

cf. Plutarchi Symposiacc. IX. 6. p. 741. p. 1063; quem locum non recte laudaverat Jo. Laur. Lydus de menss. vett. Romanorr. reprehensus hoc nomine a Roethero in annott. p. 50. Adde Symbol. et Mytholog. nostr. II. p. 640 sqq. 754. IV. p. 350 sqq. — Atque illud ipsum certamen tangere videtur T. Hemsterhusio (ad Luciani Contempll. cap. 23. p. 522. Wetsten.) poëta in Catalectis:

„Quisquis Cecropias hospes cognoscis Athenas,
Quae veteris famae vix tibi signa dabunt,
Hasne Dei, dices, Coelo petiere relicto?
Regnaque (*rixaque* vel *rixane* Hemsterh.) partitis haec fuit una Deis?
Idem, Agamemnonias, dices, cum videris arces,
Heu victrix victâ vastior urbe jaces!
Hae sunt, quas merito quondam est mirata vetustas.
Magnarum rerum magna sepulcra vides."

Libuit enim integrum adscribere locum egregium, de quo ita Villoisonus in Prolegomm. ad Homerum p. LIII: „Mihi autem Graeciam peragranti semper occurrebat illud elegantissimum epigramma in Catalectis." Sequuntur versus poëtae, quos laudavimus. Extrema carminis eruditioribus in memoriam revocabunt verba Servii Sulpicii in Epistoll. famill. ad Ciceronem IV. 5. — „Post me erat Aegina, ante Megara, dextrâ Piraeeus, sinistrâ Corinthus — *cum uno in loco tot oppidûm cadavera projecta jaceant.*"

P. 101. *Ut ipsa — suos cives genuisse dicatur*] cf. Thucyd. L. I. c. 2. quem locum illustravit Wyttenbachius V. S. in Select. Hist. p. 359. comparato loco altero Thuc. II. 36. cf. Herodot. I. 56. ib. Wessel. et Valcken. Isocr. Paneg. p. 17. ed. Mor. Add. Meurs. de Fort. Ath. in Gronovii Thes. A. Gr. Vol. V. p. 682. et Longin. De Subl. Sect. XXIII. §. 93. ed. Toup.

VI.
PRAEFATIO
AD
JO. HENR. CHRIST. SCHUBARTI QUAESTIONES GENEALOGICAS HISTORICAS
IN
ANTIQUITATEM HEROICAM GRAECAM
MARBURGI MDCCCXXXII.*)

LECTORI BENIVOLO
S.
FRIDERICUS CREUZER.

Praefationi praefationem adjici permirum videatur. Sed viri humani non nesciunt quae humanitatis sint. Me quidem sciant huic officio numquam libentius fecisse satis. Nam vir juvenis, qui nunc primum in publicum prodit, non solum Marburgi in academiâ patriâ, ex quo his literis operam dare coepit, verum etiam huc delatus et Seminarii Philologici alumnis adscriptus morum integritate, sollertiâ ingenii, diligentiâ commentandi atque industriâ ita se praeceptoribus suis probavit, ut ipsius causâ vel maxime cuperent. Postea vero quam Vindobonae rerum suarum domi-

*) Auctor hujus libri, cujus consilium argumentumque paullo post declaravit C. O. Muellerus in Götting. Gelehrt. Anzeig. 1833. Nr. 86. 87, nunc cum maxime praeest Bibliothecae Principis Electoris Casellis in Hassiâ, posteaquam facultatem suam criticam doctrinamque comprobavit cum aliis scriptis tum vero maxime editione Pausaniae, quem bis in publicum emisit, primum cum Christ. Walzio tribus voluminibus Lipsiae ap. Hahnium 1838—39, tum solus anno 1853. Quod a me ipso in hac Praefatione tractatur argumentum geographicum et historicum denuo adumbratum est nuper ab A. Westermanno in Paulyi et Walzii Encyclopaediâ Vol. V. 2. p. 1307—1309, copiosius autem illustratum ab *E. Curtio* in majore opere, quod inscribitur: der Peloponnes,

cilium locavit, hoc est, in urbe literarum artiumque opibus redundante, idem haec commoda scite liberaliterque in suum suorumque amicorum usum convertit. Arguunt notationes, quas haud paucas e codicibus Vindobonensibus in hoc ipso libello consignavit. — Cujus quae ratio sit, quod consilium argumentumque, ipse scriptor in suâ Praefatione tam lucide ac diligenter explicavit, ut ne verbum quidem addi necesse sit. Proinde quid secutus sit libri auctor, nemini obscurum esse potest: quid assecutus, censebunt homines docti, publiceque pronuntiabunt. Neque enim is sum, qui vel meâ vel meorum amicorum gratiâ aliorum censuras praeoccupare soleam. Illud dicere non reformido, mihi has plagulas a prelo madentes perlustranti cum alia placuisse Schubarti judicia, tum hoc inprimis, quod Pausaniae, qui nuper a multis iniquius tractatus est, auctoritatem dextre graviterque vindicare instituit.

Atque huic praefatiunculae jam finem imponere possum, et Lectoribus vale dicere, si prorsus ἀσύμβολος ab hac coenâ discedere velim. Nunc advertit me libelli hujus argumentum, quod continetur rebus Argolidis, hoc est, ejus orae, in qua nuper certatim peregrinati sunt Britanni, Francogalli, nostrates, et nunc cum maxime peregrinatur vir de nostris literis optime meritus mihique amicissimus Fridericus Thierschius, quem speramus multa in lucem esse prolaturum quae adhuc obruta jacuerunt. Françogalli etiam merito laudantur, quod in Peloponnesum non modo militatum abierunt, verum etiam anquisitum, et exercitui suo viros eruditos adjunxerunt, Regis munificentiâ et Academiae scientiâ adjutos ornatosque. — At vero, ut ingenue fatear quae sentio, illud exspectationem nostram destituit, quod in opere nuper admodum emisso: *Expédition scientifique de Morée ordonnée par le Gouvernement Français à Paris* 1831, meridionalis Graeciae tabula geographica exhibita est a Lapieo (*Lapie*) descripta, bona illa quidem et commendabilis multis partibus, sed tamen non usquequaque nova; cum ejusmodi tabulam desideraremus, quae denuo instituendis mensionibus adeoque iteratis curis eorum, qui illi expeditioni adfuerunt, emendata consignataque esset.

Speremus igitur fore, ut sequentibus voluminibus hoc compensare studeant regii illi geometrae, eoque studio se adgregare velint Dicaearcho, qui a Plinio (H. N. II. 65. p. 105. Harduin.) „vir dicitur inprimis eruditus, *regum curâ permensus montes.*" Celebrabantur enim hujus Peripatetici *καταμετρήσεις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ ὀρῶν* (Suidas in *Δικαίαρχος*, cf. Reinesii Observatt. in Suid. p. 68. ed. Chr. Godofr. Muelleri). Ac dubitari nequit, has Dicaearchi dimensiones montium Peloponnesi in fontibus fuisse rerum Geographicarum Straboni. Nam in descriptione Arcadiae, ubi a Cyllenes montis altitudine definiendâ proficiscitur (VIII. 1. p. 316. Tzsch.), haec profert Geographus: *ὄρος ἐν αὐτῇ Κυλλήνη· τὴν γοῦν κάθετον οἱ μὲν εἴκοσι σταδίων φασίν, οἱ δ' ὅσον πέντε καὶ δέκα.* Fuit insuper tertia mensura, quae Apollodoro auctori attributa accuratissima videtur C. O. Muellero (in libro: *Die Dorier*. I. p. 64. cf. Apollodori Fragg. p. 400. Heynii). Dicaearcho autem illam mensionem deberi, quae a Strabone secundo loco ponitur, discimus e Gemini Elementis Astronomiae (p. 55 sq. Petavii): *Καὶ ἔστι μὲν τῆς Κυλλήνης τὸ ὕψος ἔλασσον ιε΄, ὡς Δικαίαρχος ἀναμετρικῶς* (lege e margine Petavii: *ἀναμεμετρηκώς*)· *τοῦ δὲ Σαταβυρίου ἐλάσσων ἐστὶ ἡ κάθετος σταδίων ιδ΄* (*γρ. σταδ. δ΄* marg. Petav.). Praeterea corrigendum est: *Ἀταβυρίου*. Nam Rhodio illi monti nomen fuit *Ἀταβύριον*, s. *Ἀτάβυρον* ὄρος (cf. Heynii nott. critt. in Apollodori Biblioth. p. 248.), quod nescio qua auctoritate fretus Atabyros nuper scripsit Rostius in *Rhodos* p. 8.*)

Revertor in Argolidem; cujus descriptionem multis tabulis ornatam exhibuit *Guil. Gell*, Britannus. Londini 1810; qui idem in publicum emisit: *Itinerary of the Morea*, ibid. 1817. Postea vero nostras CAROLUS ODOFREDUS MUELLERUS ei peninsulae insignem curam adhibuit describendâ novâ tabulâ geographicâ Peloponnesi. In ejus tabulae explicatione adjectâ operi, quod inscribitur: *Die Dorier*, haec

---

*) Cf. nunc Dicaearchi Messenii quae supersunt ed. M. Fuhr. Darmst. 1841. p. 128. et quae partim in hoc editore correxit Carolus Mueller in Fragmentis Historicorum Graecorum Vol. II. p. 253 sqq.

posuit (pag. 435.) vir clarissimus: „Ueber Nauplia, Tiryns, *Likymnia* verweise ich ganz auf Gell's Argolis, obgleich seine Karte aus dem Itinerar selbst noch in Manchem rectificirt werden kann, was uns hier zu weit ins Detail führen würde.“ — Nollem factum, vellem, ut aliis in locis, sui judicii fuisse Muellerum neque Gelli arbitrio mancipatum. Quid enim Gellus? Hic nimirum ita (in *Argolis* p. 93.): „The name of Palamedi may have been taken from that of the heros Palamedes, who came from Nauplia, STRABO; but it seems probable that if there was in ancient times a fortress in this situation, it was named *Lycymnia* (sic) as Strabo assigns to that place a distance of 12 stadia from Nauplia, which agrees very well with the present castle, supposing the road to have ascended the mountain by such a route as would have made id practicable for horses.“ Ac licet Gellus hanc conjecturam, in Itinerario suo postea edito, silentio praetermiserit, neque in suis tabulis consignarit, C. O. Muellerus tamen in suâ Peloponnesi tabulâ geographicâ Licymn*iam* posuit prope Naupliam, et quidem meridiem versus. Adhibeamus ipsum Geographum, quem testem sibi esse ait Gellus (Strabonem VIII. 11. p. 230. Tzsch.) *Τῇ μὲν οὖν Τίρυνθι ὁρμητηρίῳ χρήσασθαι δοκεῖ Προῖτος καὶ τειχίσαι διὰ Κυκλώπων· οὓς ἑπτὰ μὲν εἶναι, καλεῖσθαι δὲ γαστερόχειρας, τρεφομένους ἐκ τῆς τέχνης· ἥκειν δὲ μεταπέμπτους ἐκ Λυκίας καὶ ἴσως τὰ σπήλαια τὰ περὶ τὴν Ναυπλίαν καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς ἔργα τούτων ἐπώνυμά ἐστιν. Ἡ δὲ ἀκρόπολις Λικύμνα ἐπώνυμος Λικυμνίου· διέχει δὲ τῆς Ναυπλίας περὶ δώδεκα στάδια.* Non repetam quae de priore hujus loci parte posui in Historicorr. antiquiss. fragmentis p. 71—73., ubi haec ex Hecataei Milesii libris desumta esse conjeci. Speluncarum cyclopearum prope Naupliam sitarum in antecedentibus mentionem fecerat Strabo (VIII. 2. p. 212.). Jam, quod his in verbis, quae modo descripsimus, quasi per parenthesin illuc rursus digreditur Strabo, ea res fraudem fecit Gello, ita ut de Naupliae arce eum loqui opinaretur, nec perspiceret, orationem Strabonis denuo redire ad Tirynthis mentionem, hujusque urbis arcem Licymnam ab eo memorari. — Con-

juncta haec sunt cum iis, quae SCHUBARTUS noster ipse disputavit Partis secundae capite tertio pag. 161 sqq., ubi et alia legimus et vero haec: „Terram hoc modo divisam existimo: Alcaeus, aut si ante patrem is mortuus est, Amphitruo filius Tirynthem accepit; in hac enim urbe invenimus Amphitruonem — Pausan. IX. 11. 1. p. 731. Hesiod. Scut. Herc. 80. 59. — Herculem — Diod. Sic. IV. 33. p. 278. Paus. V. 2. 2. p. 378. — Tlepolemum et *Licymnium* — Pindar. Olymp. VII. 24. — Electryoni Midea evenit — Paus. II. 25. 8. p. 169.; unde *Μιδεᾶτις* Alcmene; Theocrit. 13. 20. 24, 1. Eustath. ad Hom. Il. XIX. 114. p. 1175. — *Licymnius* Electryonis filius Midea venire dicitur Pindar. Ol. X. 78. (Debebat Schubartus: *Oeonus*, *Licymnii filius.*) — Sthenelus Mycenas occupavit — Strabo VIII. p. 578 sq. et ex eo Eusthatius ad Hom. Il. II. 569. p. 290. 14.“ — Idem pag. 167 sq., tractans locum Iliadis II. 661. de Tlepolemo et Licymnii caede per eum patratâ, haec posuit (pag. 168.): „Videmus hac narratione Homerica, Tlepolemum in patris domo regiâ educatum, *ibi* Licymnium occidisse.“ Deinde, postquam id Calydone factum negavit, ita pergit: „Rerum naturae maxime convenit, harum rerum scenam Tirynthem fuisse, Herculis regiam; et reverâ expressis verbis id tradit Pindarus Ol. VII. 24.; *Licymnii sepulcrum fuit in Argivo agro*, Pausan. II. 22. 8. p. 162.“ De hoc loco classico Pindari tam copiose egit in Dilucidatt. Pindaricc. (I. p. 247 sqq.) TAFELIUS V. Cl., ut nihil addam nisi hoc unum, recte mihi ex Iliadis loco laudato efficere videri Schubartum, non solum a Pindaro sed etiam ab Homero Tirynthe Licymnii caedem factam prodi. Quod alii Argos hujus caedis scenam perhibent, id commode expediri potest, si teneas, Tiryntha illis temporibus Argivis paruisse (vid. Heynii Obss. in Iliad. II. 559 sqq. p. 322.) adeoque Tirynthias res saepiuscule Argolicarum nomine narrari. — Jam his positis proclive sit colligere, Tirynthe, in ipsâ urbe vel certe in arce, sepultum fuisse Licymnium. Prohibet Pausanias, qui in Corinthiacis (II. 22. 8.) ita prodit: *ἐρχομένῳ δὲ ὁδὸν εὐθεῖαν ἐς γυμνάσιον Κυλάραβιν, ἀπὸ τοῦ παιδὸς ὀνομαζόμενον τοῦ Σθενέλου, τέθαπται δὴ*

Λικύμνιος ὁ Ἠλεκτρύωνος κ. τ. λ. Quae Periegetae verba in suam *Argolidem* etiam retulit Gellus p. 61: „In the direct way to the gymnasium, which is called that of Cylarabus, is the tomb of Licymnius, the son of Electryon.“ — Nobilitatus postea est idem locus obitu Pyrrhi regis; quem Plutarchus refert (in Pyrrho XXXIV. p. 77. ed. Baehrii nostri, cujus Annotationem conferas velim p. 243 sq.), posteaquam in proelio apud Argos commisso primum lanceâ leviter ictus, deinde tegulâ Argivae mulieris manu in caput dejectâ graviter vulneratus esset, ex equo prolapsum ad Licymnii monumentum concidisse: — *Αὐτὸς δὲ κατενεχθεὶς παρὰ τὸν τοῦ Λικυμνίου σηκὸν ἔκεσεν, ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀγνοούμενος.* Quod si haec cum Pausaniae verbis conferas, consequens est, Licymnii monumentum, ubi Pyrrhus obiit, vicinum fuisse gymnasio Cylarabi adeoque ipsi urbi Argorum, quandoquidem res ipsa docet, regem bis vulneratum, nec sui compotem, frenis projectis, non per longum intervallum haerere potuisse in equo. Et cum Livius (XXXIV. 25. 2.) diserte dicat, hoc gymnasium „minus trecentos passus fuisse ab urbe“ (Argorum): haud dubie efficitur, ipsum Licymnii sepulcrum exiguo intervallo ab eâdem urbe dissitum fuisse. — Quae cum ita sint, haec pro certis poni posse arbitror: primum, arcem illam Licymnam (quod vocabulum accuratius scribi videatur: *Λίκυμνα* *), sicut alius Argolidis locus *Πρόσυμνα*, Stephano Byzantio p. 647. Berkel. et ipsi Straboni VIII. 2. p. 232. cognitus; neque vero *Λικυμνία*) eam igitur arcem ipsi urbi Tirynthi contiguam vel certe vicinam fuisse (quod vix intelligas e confusâ Cellarii in Geographiâ Antiq. II. 13. p. 1217. notatione); neque proinde Naupliae tam vicinam, quam conjecturâ ductus eam posuit Gellus eumque secutus C. O. Muellerus, hic quidem in tabulâ suâ geographicâ infra Naupliam meridiem versus propemodum; deinde, illam arcem probe esse distinguendam a Licymnii sepulcro, secus atque alii suspicati sunt, Tirynthe, in urbe vel in arce illud sepulcrum quaerentes. Ac si hoc sepulcrum uno vocabulo designan-

*) Pape tamen *Λικύμνα*, qui Pausaniam non laudat.

dum erat, debebat τεμενικὸν usurpari. Dicitur enim Plutarcho l. l. ὁ τοῦ Λικυμνίου σηκός, ex usu accuratiore pedestris orationis; quo cujuslibet herois τέμενος proprie dicebatur σηκός. Docet Pollux (in Onomast. I. 1. 6. p. 5. Hemsterh.). — Quocirca, ut arx illa appellatur Λικύμνα (vel forte Λίκυμνα), ita sepulcrum uno nomine appellari debebat: τὸ Λικύμνιον vel τὸ Λικυμνεῖον. Neque denique in Tirynthis ruderibus sepulcri reliquiae superesse possunt, verum, si modo, arcis.

Mycenes rudera, de quibus alibi me dicere memini, rursus in mentem revocat hoc ipsum libelli hujus caput, quod *Regnum Mycenarum* inscribitur. Idem enim Guilielmus Gell eodem in libro illorum moenium plures icones exhibuit et vero tabulâ 10. unam, quae portae leonum, cujus Pausanias (II. 16. 4.) mentionem facit, aliquanto ampliorem speciem representat, haec addens in descriptione ipsâ (pag. 37.): „Between them (the lions) is a semicircular pillar, which might be called Doric; *but it diminishes from the capital to the base*, which consists in a double torus.“ Nolo nunc recolere, qualium conjecturarum ex istâ Gelli delineatione et explicatione ansam captarit Hirt. V. Cl. in Frid. Aug. Wolfii Analectis Literariis (I. p. 156 sqq.): illud hac datâ occasione referam, esse penes me ejusdem portae Mycenaeae picturam linearem, a Fauvelio, Francicorum per Graeciam negotiorum nuper curatore, adumbratam, quae illam columnam in basi minime contractiorem monstrat, omninoque illius portae grandiorem aliquanto nobilioremque adspectum praebet, nec improbatur viro illustri *O. M. a Stackelberg*, qui ea moenia ipse inspexerat, a quo perito monumentorum veterum aestimatore cum regionum Graeciae tum Graecanicae artis operum praestantes descriptiones partim accepimus, partim accepturos speramus.

Possum ab illâ extremâ antiquitate pedem referre ad propiorem, et unam alteramque inscriptionum Peloponnesiarum, quas nuper Expeditioni illi Francicae adjunctus vir mihi amicus mecum communicavit, hoc loco descriptam in publicum emittere. Et sunt in iis, quae Ἀργείων et τῆς πολιτείας Ἄργους mentionem habeant.

Est etiam Latina, apud Argos in planitie exstans, in Apographo sic exhibita:

Q. CAECILIO—C—F. MEFIO.
IMPERATORI. ITALICI.
QVEI. ARGEIS. NEGOTIA.

Non opus erat Oedipode divinare: *Metello.* — Postea vidi, eandem inscriptionem legi apud Gruterum pag. CCCLXXVII. Nr. 5.; ubi ea ex Apiano desumta et apud Argos in campis Macedonicis reperta dicitur. Gruteriana autem lectio ita variat: „Q. *Cai*cilio C. F. (adscriptâ notâ: 'C pro Q, ut intelligatur Macedonicus [*Gudius*].)' *Metello.*", et in clausulâ: Nego*ciantur*. Quodsi igitur accurate descripta est haec Epigraphe, majorem temporum injuriam passa est inde a saeculo decimo sexto, quo ea ad Apianum pervenerat*). — Quae cum ita sint, equidem ampliandum censeo, et a reliquis etiam illis marmoribus literatis abstinendum, donec ea nobis ipsi Galli eruditi emendatiora impertiant. — Itaque vale, Lector, et alumni nostri nostrisque conatibus fave.

Scribebam Heidelbergae Idib. Decembr. MDCCCXXXI.

---

*) Ceterum addenda est haec inscriptio Collectioni Jo. Casp. Orellii et Caroli Zellii Delectui Inscriptionum Romanarum.

PARS ALTERA,

CONTINENS

VITAS, SIVE MEMORIAS

TRIUM PROFESSORUM.

MEMORIA
MICHAELIS CONRADI CURTII,

SERENISSIMI HASSIAE LANDGRAVII A CONSIL. JUSTITIAE INTIMIS, HISTORIARUM, ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSORIS ORDINARII, SOCIETATIS CASSELLANAE ANTIQUITAT. ITEMQUE AGRICULT., GOTTINGENSIS REGIOMONTANAEQUE THEODISCAE, CELLENSIS OECONOMICAE, ERFORDIENSIS LITERARIAE SOCII.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

JUSSU SCRIPSIT

GEORGIUS FRIDERICUS CREUZER,

PHILOS. DR., GRAEC. LITER. PROFESSOR EXTRAORD., SOCIETATIS LATIN. JENENS. SODALIS HONOR.

1802.

Duximus, Cives, nuper funus viri, si quis alius, venerabilis, intimoque non dicam multorum, sed omnium nostrum desiderio expetiti. Et erant sane in hoc eae virtutes, quae, in quo inveniuntur, ei fieri non potest, quin praecipua hominum studia adjungant. Nam sive fidem spectes, *historiae*, cui totum se dederat, animam et gubernatricem, ipsiusque et vitae et negotiorum omnium comitem ac ducem, sive humanitatem morumque elegantiam, *humaniorum literarum* quas juvenis amplexus, senex numquam deposuit, egregium fructum, sive perpetuam illam verborum vitaeque continentiam, vivum semper pietatis sensum, effusam in egentes ac miseros benignitatem, totum denique illud, quod in eo erat omnium virtutum consortium: nemo sane erit quin, dum inter nos viveret, pari amore complexus, jam morte rebus nostris ereptum communi nobiscum luctu prosequatur. — Quocirca cum ad animi nostri sensum nota omnibus optimi viri indoles nostra commendatione haud indigeat: tamen est nunc cum maxime cur ejus sensus testimonium quoque velimus apparere. Sicut enim omnis haec defuncti laudandi consuetudo et saluberrima est et

antiquitate sua consecrata quodammodo: ita nunc ingrati animi (quod omnium maxime fugimus) videri possit, si ejus viri, qui toties decora nostra suis scriptis nobilitarit*), ut, quod apud Ciceronem**) senex Ennius facere dicitur, jure suo ejus gloriae mercedem a nobis videatur posse flagitare, ejus igitur memoriam, si oppressam silentio sua luce carere patiamur.

Neque vero haec laudatio dicenda erit sed debita quaedam animi nostri publico in loco significatio. Nam ut non nescio, neque si scribentis mentem spectes, improbo etiam, in ejusmodi scriptis augeri quaedam et ornari solere: ita in hujus viri vita adumbranda, hoc artificio eo securius supersedeo, quo persuasum magis est, vel religiosissimam fidem ipsius laudi nihil quidquam posse officere, ipsumque si vivum inter nos res humanas curare fingamus, nihil antiquius habiturum, quam ut ne sancta veritas, cui suis ipse studiis et omni vita fidelissimam operam impenderit, ea igitur, ne jam in sua memoria celebranda neglecta nobis temerataque reperiatur. Itaque non tam oratorie quam *vere et simpliciter****) de ejus meritis exponam, quo prodat sese atque illucescat in hoc illud, quod apud poëtam est†): „vero hominum virtutem explorari.“

Age, a quibus ortus, quomodo institutus, quod ingenium, qui mores fuerint, quid in rem literariam publicam

---

*) Ejusdem igitur damnatus voti noster est, quod suscipit Pindarus in egregio loco Nem. VIII. 60 ss. *Κελεύθοις*

Ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν, θανὼν ὡς
— — ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἁδὼν καὶ
χθονὶ γυῖα καλύψαι-
μ' αἰνέων αἰνητά.

**) *Tuscul.* I. 15.

***) *Eurip.* Phoeniss. 472. *ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.*

†) *Bacchylides* apud Stobaeum Serm. IX. et hinc in Brunckii Analectis Tom. I. p. 149.

Λυδία μὲν γὰρ λίθος
μανύει χρυσὸν
ἀνδρῶν δ' ἀρετὰν
σοφίαν τε παγκρατὴς
ἐλέγχει ἀλήθεια.

fecerit, quos honores, quomodo gesserit, quomodo denique mortuus sit, breviter narrabimus.

Natus est Noster anno superioris saeculi vigesimo quarto, die Augusti mensis duodevicesimo, Techentini Mecklenburgici ducatus vico, patre CONRADO verbi divini ministro, matre autem SOPHIA, JOACHIMI CHRISTOPHORI DANNELII filia, Goldbergensis et Dobbertinensis dioeceseos Praepositi, quae post mariti obitum JOANNI FRIDERICO AEPINO illius successori nupsit. Quo viro in disciplinarum initiis primo magistro usus est. Deinde cum in Goldbergensi quodam ludo triennium exegisset, missus et Parchimum, inque disciplinam Brandenburgii ejus scholae Rectoris, et Guldenzopfii Conrectoris. Hinc in Suerinensem scholam dimissus per quadriennium in optimis literis vixit, studia moderante Maerkio, qui tunc ei scholae praeerat, ipsiusque in docendo collega Dihnio.

Cum bene maturus altioribus doctrinis videretur, Rostochiensi Academiae nomen dedit anno CIↃIↃCCXLII. Hic FRANCISCUM ALBERTUM AEPINUM egregium Theologum sectatus Theologiam, quam dicunt, dogmaticam, tum vero etiam moralem et biblicam didicit. Philosophiae et Eloquentiae doctore usus est: ANGELIO JOANNE DANIELE AEPINO, cui plurimum se debere gratus profiteri solebat. Mathematicen et Physicen duce BECKERO arripuit, Pastore ad aedem Jacobi primario. BERGIUM audiit Juris naturae praecepta tradentem. Ut Jus publicum, Imperii Germanici, itemque Canonicum disceret, adhibuit Joannem Petrum SCHMIDTIUM, eodemque *Historiae*, quam impensiori studio tractandam sibi sumsisset, magistro usus est. Exacto triennio Stralsundum concessit Rehfeldii Praesulis liberis regendis praeficiendus. E quibus puerum surdastrum cui vocis usus impeditus erat, incredibili opera eo instituit, ut posset, quidquid cogitasset, explicate eloqui.

Quam provinciam cum aliquamdiu fideliter administrasset, factum est ut demandaretur ei cura erudiendae subolis liberi Baronis a SCHWICHELDT, qui tunc Magnae Britanniae regis, quod Hannoverae est interioris consilii erat, cui Noster libello tunc temporis a se edito innotuerat.

Jamque eo in loco constitutus videbatur, in quo ad suum historiae studium proficeret quam qui maxime. Namque copiosissimae bibliothecae Schwicheldtiae catalogum confecit, ejusque gentis literas disposuit, conscripto etiam codice diplomatico, qui octo voluminum corpus complectitur, et ab eodem illustrissimo viro, simulatque is ejus cognosset et animi candorem et ingenii dexteritatem iis quoque rebus admotus est, quae ad rempublicam, tunc quidem bello funestissimo concussam pertinerent. Meminerunt familiares saepius eum narrare, factum esse aliquando ut illi viro, negotiorum mole obruto, non vacaret conscribendo cuidam commentario, qui gravioris argumenti continuo ad foederatorum exercituum summum ducem Brunsvigensem mittendus esset. Itaque sibi demandatum esse hoc operis, ea nocte conficiendum, quae ab hoc ipso die proxima erat.

Quid? summum illum *Munchhusium*, qui tunc Schwicheldtii Collega Georgiae Augustae suae ubique terrarum ornamenta conquirebat, usum fuisse aliquando ejus opera, ipso Nostro narrante novimus. Quaerebatur post Moshemii obitum Academiae Cancellarius. Cui quidem dignitati tuendae, cum Munchhusio Ernestius Lipsiensis maxime idoneus videretur, jussus est Noster expiscari ab eodem, an forte Gottingam concederet; sed caruit tamen ea res exitu. Atque in horum virorum contubernio, quae est rara eruditorum fortuna, consecutus est eum rerum usum, qui in historico plurimi et faciendus est, et esse apud antiquos judicatus est.

Ceterum in illa Hannoverana vita, si quid otii contingeret, illud legendo, commentando scribendisque libris impendebat. In quibus sunt tum quaedam carmina, qua de re infra dicemus, tum vero praecipue *Aristotelis Poëtices* vernacula interpretatio, quae, adjunctis aliquot commentationibus, anno CIↃIↃCCLIII. prodiit. Hujus quidem consilii hic esse potuit usus, ut qui tunc temporis certatim ad veterum recentiorumque poëmatum artem indolemque dijudicandam sese darent, neque tamen Graece satis docti essent, possent jam certiori judicio perspicere quid illi summo artium magistro et arbitro a recentioribus affictum, quidve

genuinum esset. Horum librorum edendorum haec quoque forte caussa exstitit, quod *Societatis Gottingensis Theodiscae* ejusque quae *Regiomonti* est, sub idem tempus socius esset factus.

Jam, qui viro in publicis adhuc negotiis versato ad laudem deesse videri poterat locus publicus ille eidem obtigit anno CIↃIↃCCLIX. cum in Academiae Equestris, quae *Luneburgi* floret, doctorum ordinem cooptaretur. Erudiit ibi Noster nobilem juventutem publico pariter ac privato studio; illo quidem in historia, Jure publico Imperii Germanici et celebriorum Europae gentium, literis elegantioribus, Geographia denique; privatis lectionibus latine ac germanice bene scribendi praecepta, Logicam et Metaphysicam tradidit.

Eodem anno, quo illud munus nactus fuerat, matrimonio sibi junxit *Modestam Christianam* JOANNIS FRIDERICI LUDERSII Ecclesiarum Boizenburgensium Praepositi filiam, quo conjugio nihil sibi exoptatius contingere potuisse, cum ipse fateretur, norunt omnes qui eo familiarius usi sunt, ipsumque postea viduatum dolentemque conspexerunt. Caruit tamen prole hoc conjugium.

Anno deinde CIↃIↃCCLXV. in sodalium Oeconomicae Societatis *Cellensis* numerum relatus, nomen solvit germanice vertendo Columella. Quo consilio antiquarum literarum studium cum novo officio felicissime conjunxit. Et vero ita tractabat eas literas, non ut, quod haud paucis sufficit, in verborum notationibus acquiesceret, sed ut res quoque expeditas daret illustratasque. Sic, ut hoc utar, ipsum mihi ejusmodi quid narrare memini cum diceret, sibi in explicando Columellae loco aliquo*) mirum visum esse, quod ibi traditur, vini in superiore aedium parte condendi artificium, itaque quo suis ipse oculis, quid hoc rei esset, perspiceret, se domi suae ejusdem periculum fecisse, neque tamen successisse sibi; in quo accusabat coeli nostri intemperiem.

Atque cum Luneburgica conditio ita placeret, ut nihil

*) I. 6. 20.

minus quam de mutando loco cogitare videretur, ecce anno CIƆIƆCCLXVII. jubente Serenissimo ac Potentissimo Landgravio, oblata est ei Marburgensis cathedra, vacuefacta GEIGERI obitu. Quo nuntio fatebatur sese obstupefactum ab initio, neque tamen diu ancipitem haesisse quin huc ad nos concederet. Itaque proximo anno Maji mensis die XXVI. introductus est *Historiarum, Eloquentiae et Poëseos Professor Ordinarius*, adjuncta Consiliarii, quem vocant, dignitate. Sub idem tempus scripsit commentarios: *De Senatu Romano post tempora eversae reipublicae ad nostram aetatem*, quod incredibili labore congestum inque hoc literarum genere primarium opus primum Halae vulgatum est. Expertus est hic liber singularem prorsus fortunam, quem enim KLOTZIUS hedera sua indigere arbitratus, praefatione ornaverat, solo librario rogante, neque volente neque conscio auctore, ille eodem invito proximo anno iterum in lucem prodiit, Genevae typis repetitus. Neque tamen, quod minime exspectares, idem ille, qui operi laudatorem se obtruserat, in nonnullis non censorem egit, quae leviora licet libri bonis haud officerent hominis tamen levitatem (an impudentiam dicam?) satis arguunt.

Hoc quidem opere Noster diligentem se *historicum* praestiterat: *Poëtices* tradendae specimen dederat verso Aristotele, de quo supra monuimus; tum vero editis commentationibus criticis, vernacule scriptis, quae CIƆIƆCCLX. prodierunt cum Germanicorum Poëmatum fasciculo.

Nam et Poësin attigerat aliquoties. Erat enim illo tempore nova quaedam Germaniae in his artibus felicitas, uberrimusque ingeniorum proventus; neque igitur mirandum, eum quoque qui ad hanc artem minus natus videretur, eandem eo tempore tentare, quo pullulantis vernaculae poëseos nusquam non proveniret laetissima seges. Cumque, quae tunc procudebantur pleraque ad Phidiacorum nostrae aetatis operum praestantiam exacta jaceant, manet tamen illis quoque sua quaedam dignitas, suus apud posteros honor. Nam sicut in marmore inchoatum artifici non continuo perficitur signum, quod hominum ora advertat, quod pulchritudine sua placeat, sed perpetuo admoto caelo opus est, et pertina-

cissima opera: sic sermonis nostri horrida primum et scabra facies, non nisi adsiduis eruditorum studiis ad hanc elegantiam laevigari et poliri potuit.

Ubi vero in nostram civitatem et Academiam adscitum se vidit, statim ita totus noster factus est, ut nihil antiquius duceret, quam quo nostris commodis inserviret maxime. Quod non scholis modo, quas inde aperuit, cognitum est, verum etiam, quos deinceps scripsit, librorum omni genere.

De hoc ut primum videamus, elegit sibi ex infinita rerum multitudine historiarumque immensa varietate ea praecipue, quae ad res *Hassiacas* illustrandas facerent, quod ex scriptorum catalogo infra subjungendo unicuique patebit. Erat in his ille liber, quem velut maturiorem studiorum suorum fructum senex protulit, quo *Hassiacarum* terrarum natura, constitutio reipublicae et administratio, quae Statistice dicitur, summa et diligentia et doctrina in luce collocatur.

Quid? *Universitatis hujus* descriptionem et leges, fata et vicissitudines inque rem literariam merita, exposuit commentationibus, quas per academicas occasiones edidit, plurimas, ut si nihil aliud praestitisset, summam a nobis, quicunque hujus Academiae bonis fruimur, gratiam inire debeat. Difficile sane est in hac ejus scriptionum copia certo definire, quaenam vel ad laboris molestiam impedita maxime, vel uberrima ad eruditionem, vel denique ad rationes nostras utilissima censenda sit. Praecipuam tamen laudem merere videntur: *Fasti illi Rectorum Prorectorumque Marburgensium* ab incunabulis Academiae, quibus FRIDERICI II. Landgravii Natalitia quinquagesima octava simulque *sacra Academiae Semi-secularia* celebranda indixit.

Ipsum quidem, ut huc revertar, Prorectorem iterum (annis CIↃIↃCCLXXVII. et LXXXVI.), Decanum autem Philosophici ordinis aliquoties vidit Academia.

In quibus muneribus obeundis fide et religione erat summa; easque virtutes praecipue in Professoris provincia gerenda et *praelectionum* ratione exseruit; de quibus nunc paucis dicendum est. Jam vero, ut eas omittam, quibus scriptores veteres explicuit, in ceteris quidem, tum omnem

paene literarum Philosophicarum ambitum docendo peragrandum sibi, tum in illum historiarum Oceanum invehendum ratus, docuit: doctrinam artium (Aestheticen vocant), Latine scribendi praecepta, Antiquitates Romanas, disciplinarum Encyclopaediam, mox etiam inde ab a. CIↃIↃCCLXXVIII. Oeconomiam, cum in Oeconomicae Societatis Cassellanae sodalitium receptus, id quoque sui officii duceret. Cumque ea consuetudo feracioris ingenii judicari vulgo soleat, maturiore tamen aetate in historia fere se continebat, in quo eum optimo consilio usum esse, harum rerum intelligenti arbitror dubium fore nemini. Historiam pro cathedra docuit modo catholicam inde a rerum humanarum origine ad nostra tempora, modo Europae regnorum omnium, modo Imperii Germanici, ecclesiae Christianae, Hassiacam, Statisticam.

In quibus lectionibus omnia necessitati, nihil vanitati dabat, ut qui perumque nuda rerum gestarum expositione contentus erat, quas in universali quidem historia chronologico quodam nexu secundum longitudinem, ut ita dicam, coagmentabat, ita ut illum alterum nexum, qua secundum latitudinem singulae partes junguntur, non prorsus negligeret. Et habet sane, quo se commendet ista ratio: illud tamen haud scio, an justo levius attigerit: interiorem eventuum inter se conjunctionem, explicationem caussarum uberiorem, rerumque ad humani generis conditionem vim et momentum, aliaque quibus historia vitae humanae publice privatimque fructuosa redditur, et interpres veritatis censetur doctrinarumque ceterarum illuminatrix. Erant certe qui in illo libello, quo historiam catholicam complexus est, justum et elegantem rerum dilectum desiderarent. Ceterum oratio erat profluens et sine haesitatione labens, memoria tot tantarumque notitiarum capax et fida, ut senex etiam, cum forte aliquando in numero haesitasset, prompte et facile quod opus esset reminisceretur.

Religionem sancte colere, historia magistra, didicerat, in qua providentiae rerum humanarum gubernatricis nusquam non haud obscura vestigia cerneret; quod ipsum significabat et scholis suis et omni vitae genere. Formulam

religionis amplectebatur eam, quae Ecclesiae doctorum placitis stabilita, dudum publice recepta esset, sed ita amplectebatur, non ut, de quo disputaret, haberet, sed quod eandem ad virtutem salutemque necessariam esse crederet, utpote qui horum nihil ad vanam doctrinae speciem, omnia ad mores et vitae actionem referret. Summa erat cultus publici et ad exemplum accurata observatio, librorumque nostrorum veneratio.

Neque vero tristis erat aut anxius animi, sed comitate et affabilitate prorsus suavi. Itaque appetebatur ab his, qui humanitatem amarent, aut multiplici rerum, quam sermonibus exsereret, cognitione tenerentur; tantumque abest ut sodalitiorum hilaritatem vitaret ut etiam talium congressuum esset auctor, epulis excipiens, quibuscum ipsi familiaritas intercedebat.

Cui laborum levamini postea sponte se subduxit, cum senescens rei augendae minus se idoneum vidisset, neque tamen egenorum inopiae deesse sustineret. Erat enim ea in pauperes benignitas, quae neque pecuniae parceret, nec penui, quin vel petentibus tribueret, vel offerret ultro iis, qui verecundi laterent. Publice quoque in condendo urbis nostrae *pauperibus alendis Instituto* ejus maxime opera conspicua fuit. Neque vero deerat, quod benignitati condonaret, cum ea esset vitae simplicitas, quae magnificentiam refugeret et intemperantiam sumtus: ea gravitas, quae nihil in luxus ludibria et nova seculi commenta impenderet. Neque tamen sordium in eo quid videres, sed ea erat munditiem cultusque elegantia, quae hominem deceret, a teneris liberaliter institutum, artibusque ingenuis innutritum quodammodo. Vivebat autem ita ut mirareris inoffensa paene ad senectutem usque uti eum valetudine potuisse, ut qui admodum raro liberiori aura frueretur, aut exerceretur sub dio, numquam fere excursiones faceret, et tamen ea erat firmitas, quae juventutis quendam colorem etiam praestaret seni. Atqui temperantia, quae major esse non potest, et religiosâ in victu diligentiâ hoc assecutus est, ut vel perpetuis laboribus sufficeret et inter continuos illos duraret.

Erat enim assiduitate paene incredibili, et quae nihil quidquam remitteret, quod suarum partium esse arbitraretur; cumque posset eo aetatis flexu, quo in languorem vertere robur solet ipseque ab arthritide vexaretur, mollius habere corpus et cautius uti valetudine, ultro sese offerentibus huic officio et pietati viris juvenibus: ille tamen semper recusare, et si quem laboris sibi socium adjunctum cerneret molestiae quoque quendam sensiculum prodere, dissimillimus in eo Homerico Nestori, cui in reliquis, qua prudentia, qua facundia, geminum diceres. Ille enim libenter auscultabat ei, qui in certaminis discrimine auxilium spondebat pius socius*).

Sed laboris ista magnitudo et incommodorum molestia haud mediocribus pensata est praemiis; nam, ut alia omittam, a. CIϽIϽCCLXXVIII. quae *Cassellis* floret *Antiquitatum Societas*, itemque decennio post *Erfordiensis Literaria* eum in sodalium numerum adscivit, et SERENISSIMUS AC POTENTISSIMUS LANDGRAVIUS largum clementiae suae cumulum addidit etiam seni, cum stipendio aucto eum sibi a Consiliis Iustitiae Intimis esse juberet a. CIϽIϽCCLXXXIX.

Erat adhuc vegeta satis optimi viri senectus, licet calculi dolore et arthritide vexaretur identidem. Dabantur enim longiora mali intervalla, nitentibus subinde se exserere vigoris naturalis reliquiis. Ingravescere coepit malum inde a vere proximo. Adhibitus est MICHAELIS Medicinae Doctor consultissimus, qui cum omnia expromsisset artis praesidia, tamen ita in dies auctus morbus est, ut sub Julii finem vitae periculum ostenderetur, ipseque subinde de morte cogitaret. Neque tamen nunc quidem, si quando levatum se sentiret, tenax propositi et religiosus vir ea omittere aut differre volebat, quae sui muneris non animi solum imperio sed corporis etiam ministerio indigerent. Haec illum neglecti officii cura magis quam morbus ipse conficiebat, hoc unum, quod querebatur, hoc pretio aesti-

*) Iliad. VIII. 102. *Ὦ γέρον —*
σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει·
ἀλλ' ἄγ', ἐμῶν ὀχέων ἐπιβήσεο.

mata valetudo. Tandem apoplexia correptum succubuit corpus, et obiit vir egregius die XXII. Augusti, sub ipsorum natalium tempus, cum annos vixisset LXXVIII. Exuviae elatae sunt die XXIV. in urbis coemeterium, comitante et funeris solennia celebrante magna hominum copia. Vocum concentu lugubri finito, laudatus est in eodem coemeterio a CAROLO GUILIELMO JUSTI, ecclesiarum Hassiae superioris Antistite, ea oratione, quae illius virtutem deceret, et ita audiretur, ut, qui is vir fuerit, dubium posset esse nemini.

Qui de Nostri vita et scriptis, breviter omnes, monuerunt consulendi hi sunt:

1) Programma quo AEMIL. LUDOV. HOMBERGK ZU VACH Prorector ad CURTII panegyrin aditialem invitat.
2) Diligentissimus STRIEDER in: Grundlage zu einer hessischen Gelehrten- und Schriftsteller-Geschichte. 2ter Band S. 462. et in Analectis ad reliqua volumina omnia*).
3) KOPPE jetztlebendes Gelehrtes Mecklenburg. 1. St.
4) Allgemeine Juristische Bibliothek. 2. B.
5) WEIDLICH, biographische Nachrichten von den jetztlebenden Rechtsgelehrten in Teutschland. 4. Theil. Halle 1785.
6) MEUSEL, gelehrtes Teutschland. 1. 9. Band.

EN SCRIPTORUM CATALOGUM.

Abschilderung des Reichs der Beredtsamkeit, in einem Glückwunsch an den Herrn Professor AEPINUS zu Bützow. 1746. 4.

De Christo et Trinitate ex ratione non demonstrandis. Wismar 1749. 4.

*) Usque ad XIV. p. 324., quae singula indicavit vir diligentissimus C. Guil. Justi in Supplementis ad Striederum Tom. XVIII. p. 533; ut mihi unus Saxius addendus sit, in Onomastico literario Part. VIII. p. 94 sq.

Abhandlung von den Gleichnissen und Metaphern und deren poëtischen Gebrauch, nebst einem Gedichte von den Schicksalen der Dichtkunst. ibid. 1750. 8.

Aristoteles Dichtkunst; übersetzt mit Anmerkungen und eignen Abhandlungen versehen. Hannov. 1753. 8.

Ein philosophisches Lehrgedicht von den Schicksalen der Seele nach dem Tode. ibid. 1754. 8.

Systema juris naturae Schmaussii, ab imputationibus S. R. Chladenii vindicatum. ibid. 1754. 4.*)

Eine Abhandlung von langen Predigten in den Hannöv. Intelligenzen. 1758.

Kritische Abhandlungen und Gedichte. Hannov. 1760. 8.

Die Weser; ein Gedicht. ibid. 1760.

Commentarii de senatu Romano sub imperatoribus — post tempora eversae reipublicae ad nostram aetatem; cum praefat. C. A. Klotzii. Halae 1768. 8. et Genevae 1769. 4.**)

Dissertatio, (pro loco) de successione nepotum in regna et principatus avorum ex jure repraesentationis prae mortuis patribus. Marburg. 1768. 4.

Progr. de veterum Cattorum rebus gestis ad excessum Tiberii. Marb. 1768. 4.

Progr. de rebus gestis veterum Cattorum et Hassorum ab excessu Tiberii usque ad exitium Regum Merovingicorum. ibid. 1769. 4.

Progr. I. et IIdum, De regno Galitiae seu Haliciae in titulis Regum Hungariae obvio. ibid. 1769.

Progr. de Hypsistariis. ibid. 1769.

Luc. Jun. Moderatus Columella, XII Bücher von der Landwirthschaft; ins Deutsche übersetzt und mit den nöthigen Anmerkungen versehen. Hamburg u. Bremen 1769. 8.

Dissert. hist. de Philippo Magnanimo a proditionis et perfidiae vitio immuni. Marb. 1769.

Progr. de Europaeorum apud nationes exteras existimatione. ibid. 1769. 4.

Progr. de Principis et Landgravii honoribus, Hassorum dominis ante Adolphi et Caroli Augustorum tempora propriis. ibid. 1770. 4.

Progr. de mutuo fraternitatis nomine a Regibus et Principibus Europaeis usurpato. ibid. 1771. 4.

Diss. de mutanda consueta instinctuum hominum denominatione. ibid. 1771. 4.

Progr. ubi instituta et leges ordinum Hassiacorum proponuntur. ibid. 1771. 4.

Progr. de Ducum medii aevi electione a proceribus provinciae suae facta. ibid. 1771. 4.

Oratio in obitum Mariae, Hassorum Landgraviae etc. ibid. 1772. fol.

Progr. de tempore quo Othinus septentrionales regiones adiit. ibid. 1772. 4.

Progr. in quo recensentur donationes regnorum et regionum a Pontificibus Romanis factae. ibid. 1772. 4.

Progr. I. et II. de rationibus ad virtutem moventibus apud varias gentes variis ad audiendas oratt. — Christ. Lud. Eichler, Ober-

---

*) Hunc librum summi illius Munchhusii scripsit auctoritate, qui quanti ejus doctrinam faceret, non semel testatus est.

**) Cf. Friedr. Creuzers Abriss der Römischen Antiquitäten. Leipz. u. Darmst. 1829. 2. Ausg. §. 117. p. 155 sq.

ried. Hass. Jo. Ge. Hausknecht, Cassell. Jo. Bering, Hofgeismar. Herm. Val. Flek, Homberga-Hass. et Wolfg. Theod. Steube, Roehrda-Hass. ibid. 1772. et 1773.

Oratio in nupt. Friderici II. Hass. Landgr. etc. et Philippinae Augustae Amaliae. Marb. 1773. fol.

Von dem Schaden der allgemeinen und uneingeschränkten Ausbreitung der Gelehrsamkeit; eine Einladungsschrift zu Begehung des Stiftungstages der Marburg. Literatur-Gesellschaft*). Marb. 1773. 4.

Oratio funebris piis manibus Jo. Ge. Estoris, Acad. Cancell. J. U. D. et Prof. prim. habita. ibid. 1773. fol.

Progr. de ejiciendo ex historia Hassiaca Batone rege. ibid. 1773. 4.

Progr. Memoria quater saecularis tam confraternitatis Hassiacae et Saxonicae, quam oblatae in feudum Imperii Hassiae. ibid. 1773.

Progr. de jurisdictione ecclesiastica, seu sacra in Evangelicos judicii imperialis, quod Wetzlariam ornat, Assessores. ibid. 1774. 4.

Progr. quo lis sacramentaria in ducato Mecklenburgico agitata breviter narratur; (ad aud. orat. L. J. C. Justi.) Marb. 1774. 4.

Progr. Verisimilia de initiis et incrementis potestatis arbitrariae sistens etc. ibid. 1775. 4.

Progr. de ortu ac genere Ludovici Barbati opinionum anacephalaeosis. ibid. 1775. 4.

Von der fälschlich gerühmten Treue und Redlichkeit der alten Deutschen; eine Einladungsschrift zum Gedächtnisstage der Literaturgesellschaft. Marb. 1775. 4.

Progr. de civitatibus mediatis jura Statuum immediatorum usurpantibus. ibid. 1775. 4.

Progr. Principum ac Comitum, qui Academiae Marburgensi nomina dederunt, recensum sistens. ibid. 1776. 4.

Progr. de Senioribus, Majoribus, natu ac terrae. ibid. 1777.

Progr. ubi fasti Rector. ac Prorector. Marburg. ab incunabulis Academiae panduntur. ibid. 1777. fol.

Oratio de existimatione et auctoritate principum Hassiacorum in natal. et semisaecular. post gestum Rect. Magnif. munus Frideric. II. Hass. Landgr. Marb. 1777. fol.

Von Erziehung des weiblichen Geschlechts, eine Einladungsschrift zur Gedächtnissfeier der Lit.-Gesellschaft. ibid. 1777. fol.

Progr. de Consiliariis provincialibus, prolusio I. II. III. Marb. 1777. 4.

Progr. de Cancellariis et Procancellariis Academiarum. ibid. 1778. 4.

Progr. de Cursibus publicis, seu, ut vocantur, postis. ibid. 1778. fol.

Memoria Fried. Jos. Guil. Schroederi, Med. Doct. et Prof. Marb. 1778. 4.

Progr. Collectaneorum ad historiam spectantium Particula I—XV. ibid. 1778—1792. 4.

Vom russischen Successionsgesetz; eine Einladungsschrift zur Gedächtnissfeier der Lit.-Gesellschaft. Marb. 1779. 4. etiam apud Dohm in: Materialien zur Statistik. Lief. III.

Memoria Dan. Wyttenbachii, S. S. Theol. Doct. et Profess. Marb. 1779. 4.

Progr. de heptarchia Anglo-Saxonica. ibid. 1780. 4.

Dissert. (sub ej. praes.) de Carolo infante Hispaniae, Philippi II. filio etc. Marb. 1780. 4.

Die Geschichte und Statistik der weltlichen Churfürstl. und Altfürstl. Häuser in Deutschland. ibid. 1780. 8.

---

*) in cujus Societatis auctoribus Noster ipse fuit.

Geschichte des Stipendiatenwesens zu Marburg, eine Einladungsschrift. ibid. 1781. 4.
Memoria Hen. Ott. Duysingii, D. et Prof. Theol. etc. ibid. 1781. 4.
Progr. de lectione Senatus Romani Reipublicae liberae aevo. ibid. 1781. 4.
Progr. de Ottonum consilio concorporandae Germaniae et Italiae. Marb. 1782. 4.
Progr. de incerta Chronologia Romana. ibid. eodem. 4.
Memoria Ge. Phil. Michaelis, Philos. et Med. Doct. et Prof. Marb. 1783. 4.
Progr. I. et II. de dictatura Romana; (ad aud. oratt. Nathan. Caesar, Cass., et Joh. Laur. Zimmermann, Cass.) Marb. 1783. 4.
Memoria A. L. Hombergkii zu Vach, Cancellarii Acad. etc. ibid. eod. 4.
Verzeichniss der Professoren von altem Adel auf deutschen Universitäten; eine Einladungsschrift. ibid. eod. 4.
Historische und Politische Abhandlungen. Marb., Frankf. u. Leipz. 1783. 8.
Memoria J. L. Conradi, Jur. D. et Prof. Ord. ibid. 1785.
Progr. de Episcoporum et Ducum Germaniae medii aevi loco et ordine. Marb. 1785. 4.
Schattenriss der Geschichte des Marburgischen Paedagogiums; eine Einladungsschrift. ibid. eod. 4.
Panegyricus in obitum Friderici II. Hass. Landgr. ibid. eod. fol.
Memoria Jo. Jac. Buschii, Med. Dr. et Prof. Marb. 1786. 4.
Progr. I. II. de Poloniae ad Germaniam habitu. ibid. eod. 4. (etiam in Theod. Kretschmanni: Jus publicum Germ. variis variorum dissertationibus illustratum. T. I.)
Progr. de habitu Livoniae pristino ad Germaniam. ibid. eod. 4.
Progr. de imperatorum donationibus et alienationibus opinabilia. ibid. eod. 4.
Progr. Hungariae ad imperium Rom. germ. quae olim fuerit relatio. ibid. eod. 4.
Progr. de Prussiae habitu ad Germaniam. ibid. eod. 4.
Progr. de Translatione Academiarum. ibid. eod. 4.
Preces et vota Acad. Marb. in sacris secularibus quart. Acad. Heidelb. die vi. Novemb. 1786. celebrandis. ibid. eod. 4.
De studio regum principumve immiscendi se internis aliorum regnorum negotiis. Marb. 1787. 4.
Progr. Semisecularia Acad. Gotting. d. 17. Sept. celebranda indicans. ibid. eod. 4.
Memoria H. F. Kahrel, Philos. Prof. Ord. ibid. eod. 4.
Memoria Sam. Endemanni, Dr. et Prof. Theol. — ibid. 1789. 4.
Memoria Car. Fr. Lud. Haas, Philos. Dr. ej. et histor. eccles. Prof. ibid. 1789. 4.
Grundriss der Universalhistorie. Marb. 1790. (1789.) 8.
Ueber den Ursprung und die Fortschritte der willkührlichen Gewalt, vorzüglich in Europa (in: Abhandl. des staatswirthschaftlichen Instituts zu Marburg). Offenb. 1791. 8.
Memoria Jo. Jac. Pfeifferi, Theol. Dr. et Prof. Marb. 1791. 4.
Memoria Jo. Franc. Coing, Theol. Dr. et Prof. ibid. 1792. 4.
Memoria Jo. Henr. Wepleri, Prof. Philos. ibid. 1792. 4.
Memoria Jo. Remondi, Philos. et hist. eccles. Prof. ibid. 1793. 4.
Memoria Jo. Guil. Schroederi, L. L. Orient. Prof. ibid. 1793. 4.
Progr. de Censura Rom. Prolusio I. 1793. et II. ibid. 1795. 4.

Geschichte und Statistik von Hessen. Marb. 1793. gr. 8.

Memoria Jo. Henr. Christ. de Selchow, Acad. Cancell. et Prof. jur. Marb. 1795. 4.

Memoria Jo. Gottl. Stegmanni, Prof. Philos. Marb. 1795. 4.

Memoria Jo. Andr. Hofmanni, Prof. Jur. ibid. 1795. 4.

Progr. de Concilio Francofurtano ante hos mille annos habito. I. Marb. 1794. 4. II. ibid. 1797. 4. III. ibid. 1801. 4.*)

Progr. de Germanorum prisci et medii aevi urbibus et oppidis, eorumque indole et politia. Prol. I. Marb. 1796. 4. Prol. II. 1798. 4. Prol. III. 1799. 4. Prol. IV. et ult. ibid. 1800. 4.

Memoria Leon. Jo. Car. Justi, Theol. Prof. ord. Past. prim. Superint. Marb. 1800. 4.

Fragmente eines Plans zur Verbesserung der Erziehungsanstalten in Hessen, in: Münscher Magazin für das Kirchen- und Schulwesen besonders in Hessen und den angränzenden Ländern. Nr. I. Marb. 1802.

Prolusio qua ad Natalitia Sexagesima Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Domini GUILIELMI IX. Landgravii Hassiae rel. celebranda invitatur: De Divisionibus et Classibus Germanorum medii aevi. Partic. I. Marburgi 1802.

---

*) De hoc Concilio vide nunc Beiträge zur Geschichte der Stadt Frankfurt a. M. und ihres Gebietes, von Dr. Römer-Büchner. Frankf. a. M. 1853. p. 35.

MEMORIA
DITERICI TIEDEMANNI,

PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII, SERENISSIMO HASSIÆ PRINCIPI ELECTORI A CONSILIIS AULICIS, ANTIQUARIORUM SOCIETATIS CASSELLANÆ SOCII.

ACADEMIAE MARBURGENSIS RITU

SCRIPSIT

GEORGIUS FRIDERICUS CREUZER,

LITERARUM GRAECARUM, ELOQUENT. ET POES. PROFESSOR P. O.

1803.

Nihilne esse stabile mortalibus? Tam flebili nos casu discere fortunarum humanarum inconstantiam? Adeone spem nostram fractam afflictamque jacere? — Quis vero nostrum est, Cives, qui haec aut his similia non secum cogitarit, cum nuper, effusis omnium in publicam laetitiam animis, publicus afferretur e *Tiedemanni* funere luctus?

Quo enim tempore maxime augurabamur rebus nostris fausta, laeta, amplissima omnia*), eodem iisdem interesse, easdem juvare, ornare ille desiit, quem ipsis diutissime adfuturum speraveramus.

Etenim quis est, qui, cum corporis compacti speciem, naturalis indicem roboris conspexerit, *Tiedemanno* non eandem vegetae senectutis prosperitatem praedixerit, quam hic ipse nuper philosophici ordinis Decanus *Fürstenavio*, apud Rintelenses Professori, gratulatus erat, cum is doctoratus annum quinquagesimum feliciter superasset**).

---

*) Agebantur per hoc tempus Electoralis dignitatis in Principem nostrum collatae aditialia.

**) Qui vir Tiedemannum nostrum brevi in morte consecutus est, ut adeo, moerente patria, duo haec philosophiae lumina, uno paene temporis articulo obscurata, jaceant.

Atque eam spem in virentis aetatis firmitate positam ne tum quidem deponebamus, cum morbi acerrimi nuntius adlatus esset. Qui ipse egregie patefecit omnium animi in optimum hominem sensum. Quo tempore qui trepidantium circuli fieri! qui vel metuentium vel sperantium sermones audiri! quod denique omnium civium studium declarari! — Qualis vero tunc aliorum spes, aliorum metus, talis nunc universorum luctus, moeror, desiderium.

Et vero quantam, quamque justam multis moerendi materiam morte Tua obtulisti! Dolendum rei literarum publicae, quae Te laudatissimum civem amiserit, dolendum academiae, quae praecipuo aliquo decore privata sit, dolendum amicis, qui amicissimum sibi hominem desiderent, dolendum uxori, liberis, qui eo orbati desolentur, qui ipsis vel mariti vel parentis curam amoremque praestiterit.

Etenim cum lugemus, nostra sola caussa lugemus: Ipsius quidem caussa quod lugeamus nihil est. Ille, quo omnem philosophiae vim contineri sapientissimi viri docuerunt, mortem in omni vita meditatus est; ille eum constanter animi sui sensum declaravit, ut quorum philosophorum placita juvenis scripto illustrarat, eorum excelsam mentem moriens exprimere videretur. Ita enim philosophorum idemque imperatorum summus Antoninus: discedere sic e vita quemque debere, ut a scena histrionem, qui necdum absolutis quinque actibus, a praetore tamen discedere jubeatur, quoniam dissolvendae fabulae arbitrium penes eundem sit, qui ejusdem olim componendae auctor fuerit*).

„Neque**) vero histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocunque fuerit actu, probetur: neque sapienti usque ad *Plaudite* vivendum.“ Atqui quis vel paullo humanior nesciat, quam ille tamquam egregius histrio egregie partes suas egerit, qualemque intelligentissimi et honestissimi cujusque semper plausum meruerit. Quocirca haec ipsa scribentur non tam praedicandi viri caussa, qui nemini non praedicatur, quam significandi animi nostri

---

*) Marci Antonini Imperat. de rebus suis Libr. XII. §. 36.

**) Ciceronis Cato maj. Cap. 19.

incitandique literarum studii, quo acrius et cives, et si qui forte ista legent exteri, connitantur ad eandem laudem, qua florentem singularem virum sicut nunc admiramur aequales, ita semper laudabunt eruditiores posteri.

Cui narratoris officio satis me esse facturum spero, si non tam scriptorum ejus argumentum formamque explicaro, quae nemo doctior ignoraverit: quam si explicaro, quae Illius natura fuerit, quibus ille disciplinae et fortunae beneficiis usus per quos gradus ad eam doctrinae laudem accesserit*), quae deinde subacti ingenii bona quomodo in aliorum usum contulerit, qui mores fuerint, quae vitae consuetudinisque ratio.

Quas res cum legerint, scriptoris artem copiamque plurimi desiderabunt: collegae amorem, discipuli pietatem nemo desiderabit.

Natus est *Tiedemannus* anno 1748 tertio d. Aprilis Bremaevordae, ducatus Bremensis oppido, patre Friderico, decurione, qui quondam Theologiae operatus, ad Juris prudentiam transierat. Cujus viri accurata disciplina puerile ingenium severius castigatum ab aequalium consuetudine abducebatur. Accedebat hortantis vox, qua se jam eo tempore, quo aliorum puerorum animi nugis expleri soleant, ad magnarum excelsarumque rerum cogitationem erectum fuisse Noster praedicare solebat.' Et praedicanda fortasse erat haec instituendi ratio, in eo certe puero, cujus sollertem indolem, tantum abfuit, ut paternarum aedium solitudo restingueret, ut potius efficacius inde divinae naturae semina eliceret: sicuti terra, simulatque sparsum semen gremio suo excepit, primo occaecatum cohibet, deinde tepefactum vapore et compressu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem, quae deinde laetissimam frugem fundit. Nam ille cum sese aut solum aut simul cum fratre intra eos parietes coactum vidisset, temporis fallendi caussa lectiuncularum jucunditatem captare coepit.

---

*) Harum rerum partem aliquam Tiedemannus ipse adumbravit rogatus a Striedero, quas schedas humanissime mecum communicavit Wachlerus noster.

Quarum largam ei materiam subministrabat Anglorum vernacule versa historia universalis, quorum voluminum beata copia heluabatur puerilis animus. Praeterea perplacebant Saladini res, germanico aliquo libro expositae. Neque vero minus Noster delectabatur iis scriptis, quae vegetum ingenium in vivido pectore vigens religionis sanctitate penitius imbuerent, pietatisque felicitatem imaginum colore varietateque intimo sensui repraesentarent, velut ille Arndtii libellus, qui Paradisi hortulus inscribitur.

Ceterum a ludi patrii praeceptoribus tantum profecit, ut non modo latini sermonis rudimenta in numerato haberet, verum etiam eundem commode satis scriberet. In graecis quo minus aeque proficeret, impedivit perversa instituendi ratio, cujus a Novi Testamenti lectione initium duceretur, quem librum ille tum quidem ad fatui interpretis regulam legere coactus est. Eo tempore pater, qui pueri et docilitatem observasset, et animi ardorem, ipsum literarum studiis destinavit, ita tamen, ut prudenter disciplinae optionem daret filio. Is vero, quales fere pueri esse solent, qui, quod eximia quadam specie sua sensus tangit, illud continuo amplectuntur, talem et ipse sese praestitit. Nam cum aut biblia patri aut sibi quoslibet libros alta voce legendo vehementer delectatus esset: tum demum se beatissimum fore sperabat, cum aliquando pro sacra concione e suggestu perorandi potestas data esset. Quo animi impetu conscribere solebat orationes, quas sacro muneri praefectus habere cogitabat. Etiam poësin attigit, ut rei metricae versuumque ignarus. Cumque illam sacro tantum usui destinatam esse putaret, Psalmorum optimos quosque imitari aggressus est, alienus ab iis Musarum crepundiis, quibus ingeniosa juventus delectari plerumque solet.

Neque tamen ita in coelo habitabat, quin interdum rerum terrestrium cogitatio obrepens fructu suo voluptateque animum vehementius moveret. Sic, ut hoc utar, cum aliquando memoratum legisset: esse mirificam quandam artem auri conficiendi, summo ejusdem addiscendae et factitandae studio flagrabat. Quam qui sibi traderet se inven-

turum desperans, sui ipse ingenii vires intendere coepit, an inde forte, quod e re esset, excuteret. In quo haec eum cogitatio suspensum tenuit: posse forsitan e papilionum quorundam, velut auro micantium, alis aurum corradi aut excoqui. Quas nugas ideo memoramus, ut cognoscatur ingenium pueri, qui inertiae taedium reformidans, quidvis moliretur, quo vividior sensus luderet. Quo in genere illud quoque est, quod, cum maxime veteres linguae ipsum exercere coepissent, in nova excogitanda elaborabat. Erat tunc ea forte pueri opinio: omnium linguarum quotquot hominum ore feruntur unamquamque unius alicujus summi artificis deberi ingenio. Jam ille in ejus laudis societatem accedere gestiens, e variis vocibus chaldaeis aliisque, quarum copiam historiarum volumina suppeditabant, eas praecipue elegit, quae nove sibi mireque sonarent, quibus novum suum sermonem conglutinare instituit.

Indigebat vero ea juvenis foecunditas scholasticae disciplinae, qua, sicut in vitibus, revocarentur amputarenturque ea, quae serperent multiplici lapsu et erratico, ne illa silvesceret sarmentis et in omnes partes nimia funderetur. Quo salubrius erat patris consilium filium in Verdense gymnasium mittentis, ut accuratiore linguarum cognitione imbueretur (1763). Neque tamen ibi *Tiedemannus* multos secum habuit, quod commilitones moleste ferentes, eum puerum in primum ordinem admissum esse, dicteriis lacessere coeperant. Quare solus plerumque Latinos quosdam scriptores legere, orationem suam ad Heineccii praecepta castigare eaque omnia agere coepit, quae sibi ad ejus sermonis promtiorem et notitiam et usum necessaria esse crederet. Cumque vernacularum literarum rudissimus esset, ut qui, praeter Gellerti epistolas, nihil fere venustioris scriptionis legisset: ad latini sermonis indolem jam tum aures judiciumque suum sic satis acuisse videbatur. Erat insuper scholarum Francicarum magna utilitas voluptasque. Quibus ille tantum profecit, ut cum eum sermonem antea plane ignorasset, promte legeret Molieri fabulas; festivique magistri, Gallici hominis, lepos facetiaeque ad cete-

rorum quorundam praeceptorum austeram tristitiam perplacebant.

Biennio ibi transacto, Bremam concessit, ubi Athenaei discipulis adscriptus est. Celebrabatur ea schola tunc quidem praecipue non tam discentium multitudine, docentiumque insigni quadam doctrinae copia, quam utrorumque laudabili industria; neque fere quemquam fuisse narrabat, qui puerilium ludorum fraudumque nugis literarum delectationem non praeferret. Acerrimo praesertim juvenum studio florebant artes elegantiores, ut quisquis in venustioribus numerari vellet, ad pulchritudinis sensum judicium suum acuere et polire studeret, inque poëtarum Latinorum, magis etiam Gallicorum lectione totus esset. Versabantur omnium manibus Batteusii, Boilavii, Meinhardti scripta, ex quibus, velut omnis elegantiae oraculis, artium praecepta avide arripiebat *Tiedemannus;* cumque adhuc in poëtarum scriptis singularum modo locutionum flores captasset, jam in cujusque carminis universam constitutionem artemque altius descendere conatus est.

Haec fere communia universorum studia erant. Qui sublimius ferebantur, philosophiae adyta quasi et mysteria petebant. Quorum ita fervebat labor, ut metaphysices abstrusissima quaeque disceptantium vocibus auditoria resonarent, difficillimarumque rerum meditatione haud pauci defigerentur. Quorum quendam postea ridere solebat, qui de *ente simplici* disputans, acriter urgenti adversario reique definitionem flagitanti pilam lapideam, quae ejus auditorii fornicem sustentabat, in qua commissurae non apparerent, tamquam ejus ipsius entis exemplum venditarat. Advertit hic studiorum ardor *Tiedemanni* mentem, erexitque ad desiderium philosophiae, quam adhuc vix fando norat. Quod ipsum alebatur incendebaturque praelectionibus iis, quibus historia philosophica e *Bruckeri Institutionibus* explicabatur. Quibus *Tiedemannus* sedulo interfuit, eumque librum suis lucubrationibus penitus imbibit.

Quem lectitans quum aliquando multorum placita philosophorum animo perlustrasset, factum est, ut sponte procederet cogitatio, ipseque, disputationum quasi telam per-

texens, videretur sibi plurima quaedam, sua, nova haud inscite attexere; jamque non dubitabat sese philosophandi facultate praeditum esse. Inde fiebat, ut sollers juvenis, qui inveniendi voluptatem semel gustasset, philosophicorum lectioni librorum se praecipue dare constitueret. Quocirca intima studiorum societate junctus est *Meinersio*, qui ipsius condiscipulus, jam tum philosophiam amplexus, *Tiedemannum* antea quoque voluntatum similitudine dilexerat. Ejus sese viri consuetudine multum adjutum esse gratus semper praedicabat Noster. Nam cum ille multos libros legisset, multorum notitiam haberet, qui hunc laterent, illius saepe in iisdem vel coëmendis, vel legendis auctoritate usus est. Et erat Brema ea urbs, quae praeberet opportunitatem librorum emendorum, quibus uterque literarum quasi diuturnam sitim expleret.

Qua lectionis et varietate et copia sic instituti erant, ut neuter ingenium suum in unius alicujus rationis cancellas compingi pateretur, aut circa compendii augustias trepidaret, sed, quantum ejus quidem posset, libere philosopharetur. In manibus per id tempus erant Cartesii, Lockii, Helvetii, Mallebrancii scripta, quae Noster intento ad philosophiam animo quotidie legebat. At vero, quum inde plurimarum rerum cognitionem percepisset: rudis tamen adhuc erat ejus rationis, quae sola philosophiae nomine digna et est et esse judicatur; dico singularum sententiarum ex una aliqua prima summaque repetendarum et sub uno mentis quasi obtutu colligendarum. Satis habebat singula cognosse, eorumque ut quaeque maxime placuissent, ita fidelissime memoriae mandasse. Quae perversitas quemadmodum indoctiorem novitium arguit: sic haec altera consuetudo, qua se tunc usum esse deinde dicebat, hominem sui ingenii neque aliunde pendentis, quique ad juvandam philosophiam natus esset. Ita enim narrabat: non eos sibi probatos esse scriptores, qui omnem propositae quaestionis materiam disserendo absolvere instituerent, et velut cum pulvisculo exhaurire: sed eos, qui legentis animum suspensum tenentes, nova quaedam excogitandi et cupiditatem sibi injecerint, et materiam suppeditarint.

Anno ibi et sex mensibus consumtis Gottingam concessit *Tiedemannus* (1767). Ubi Kaestneri disciplina usus, quum Matheseos incredibili studio teneretur, implicitus quibusdam difficultatibus, quae ex Analysi objicerentur, sedulo instans, idem qui venerat iterum, tertium abiit. Itaque, cum maxime se eas res enodaturum desperasset, Mathematicarum disciplinarum studium non abjecit ille quidem, at in maturiorem aetatem rejecit. Quae tamen redeundi, unde tunc abierat, opportunitas, ipso dolente, numquam postea data est.

Logices magistrum Weberum adhibuit. Quum is singularum sententiarum arctissimam et quasi mathematicam copulationem, velut munitam phalangem, ordine duceret, ea quidem ratio hanc vim habuit, ut *Tiedemannus* reliquas philosophiae partes in aliud tempus differre constitueret, veritus, ne, si hac via longius processisset, libere philosophari dedisceret. Neque enim quidquam jam tum cavere diligentius, quam ne cuiquam auctoratus foret. Quare metaphysices ambiguitatem et discrimina tunc quidem refugiens, diligentiori humanae naturae observationi sese dare decrevit, quam deinde, velut Ariadnes filum, secutus, sperabat tutius sese feliciusque repetiturum esse illius labyrinthi anfractus. Itaque Rollini eum librum, quo Graecorum Romanorumque veterum res narrantur, studiose legit. Magis etiam delectabatur Fieldingii Angli fabulis romanensibus, quibus hominum mores ad vivum pinguntur. Quaeque tunc omnium ore ferebantur, Russavii placita, ea *Tiedemannus* in suorum studiorum usum convertere coepit. Quo inprimis pertinebat hujus scriptoris Aemilius et qui liber Heloisa inscribitur.

Ceterum theologiae doctrinam sibi delegerat, ejusque discendae gratia a patre Gottingam missus erat Noster. Quo consilio exegeticis jam et dogmaticis lectionibus interesse coepit. Quod cum faceret Meinersius Gottingam redit, qui sex menses in patria transegerat. Jam denuo repeti coepit recolique pristina illa, sed recente ardentioreque industria, vitae studiorumque societas. Jamque metaphysicam attingere conatus est *Tiedemannus*, cum et Wolfii et

Pascalii libros eos legeret, quibus haec scientia explicatur. Quorum uterque, tantum abfuit, ut ipsi satis faceret, ut potius multa in clariore luce collocari posse nullus ipse dubitaret.

Per idem tempus *Tiedemannus* Livium lectitans, quum heroum Romanorum exempla animo repetiisset, illorumque abstinentiam, pudorem, amorem patriae reliquasque divini ingenii indices virtutes cogitasset, jam igitur magis etiam abhorrere coepit ab eo, quod numquam placuerat, theologorum quorundam placito: innatae hominum ingenio pravitatis. Qua in re Noster visus est cum Cicerone sentire, qui non dubitabat: „quin specimen naturae capi deceret ex optima quaque natura.“ Neque vero minus labefactari posse putabat alia plurima, quae illius aetatis theologi tuebantur. Quibus rationibus ductus a theologia ad Juris scientiam defecit. Verum ne in eo quidem studio mansit, sed naturae suae obtemperandum ratus, totum sese philosophiae tradidit.

Quo minus in *hujus scientiae historia*, quam ei placuisse supra monuimus, quantum vellet, proficeret, impediebat Graeci sermonis inscitia. Cujus addiscendi caussa, excitatus Meinersii exemplo, qui eundem tractare coeperat, una cum illo *Eyringii* privatissima opera usus est. Quum eo institutus esset, ut scriptores Graecos legere posset, nihil studiosius aggressus est, quam quod ad illustranda philosophorum placita facere videretur, quorum, quantumcunque posset, jam tum congerere inque adversariis reponere coepit.

Celebrabatur eo tempore *Gogetii Galli* opus *de origine legum, artium* rel. Ad ejus lectionem libri hac maxime cogitatione invitatus est Noster, quod ibi nonnulla explicari crederet, quae cum Puffendorfii Hobbesiique de conditione naturali placitis conjunctiora essent. Ex quo libro quum multarum legum, artium aliarumque rerum simplicissima initia cognosset rationemque per tempora deinceps deductam: ipse ingenii humani historiae conscribendae consilium cepit. Cujus rei caussa itineraria, quorum magnam copiam in eo libro laudatam reperiisset, diligenter legere et excerpere instituit. Quod quidem consilium tunc exitum

non habuit, sed Marburgi deinde resumtum, sylvam copiarum peperit, quae nunc *Tiedemanni* obitu relicta in scriniis latebunt, nisi inventus fuerit, qui operi ad praescripta lineamenta succedat.

In hac librorum abundantia consiliorumque felicitate ecce redduntur juveni literae patris ipsum in patriam revocantis. Jam sponte intelligebat *Tiedemannus*, qualis illius vultus futurus esset, ubi is cognosset, quam parum fecerit filius quarum rerum caussa in Academia amplius biennium exegisset, quamque illud neglexerit, quo vitae subsidiis prospicitur. Huc accedebat, quod si maxime pater sex menses explendis studiis concessisset, Noster tunc quidem quidvis potius, quam a philosophia se abstrahi patiebatur.

In his consiliorum angustiis succurrit Eyringii benivolentia, offerentis puerorum nobilium instituendorum in Livonia provinciam. Qua conditione avide arrepta, *Tiedemannus* ita Gottinga discessit (1769), ut multarum rerum per rusticationis, aut aliud, quod speraret otium, conficiendarum rationem animo conceptam descriptamque gereret. Ceterum, cum ne tum quidem ulli philosophorum principi addictus esset, tamen in plurimis Leibnitii Wolfiique ratio proxime ad veritatem accedere videbatur.

At vero quum illic aliquamdiu egisset, dolens intelligebat, quam sibi, erudiendis pueris occupatissimo, perirent bonae horae, quas suis ipse meditationibus destinasset, qualeque illud esset, abduci e luce Germaniae urbeque literarum copiis atque eruditissimis hominibus affluenti, ac velut exulare in longinquis terris atque in earum rerum omnium penuria, quibus ipse maxime indigeret. Per idem tempus resciit, Meinersium suum adeptum esse Gottingensem cathedram.

Qua in re quotus quisque est, quin fortunae malevolentiam accusans sese afflixerit consiliique sui exsequendi spem abjecerit! Ille vero egregie suo exemplo declaravit, quo pertineret hoc: „sui cuique mores fingunt fortunam," cumque nihil aut perparum esset, unde sese sustentari posse speraret, tamen Gottingam redire ibique studiorum spatia iterum decurrere constituit. Cui rei exsequendae praesidia

certissima quum sibi in Meinersii sui voluntate consilioque parata fore crederet, ei viro totam rem perscripsit. Atque is generosum alte tendentis amici animum erexit humanissimis literis, affirmans: si vel maxime pater subsidia negasset, nusquam tamen illius virtuti sua praemia defutura, quin istic forsan aliquando parata fore. Itaque a. 1773 in patriam rediit *Tiedemannus*, ubi per sex menses hibernos cum literis, quae illic sibi refrixissent, in familiaritatem rediret, quo paratior academica studia resumeret.

Gottingam reduci (vere, a. 1774) hoc primum amici officium Meinersius praestitit, quod patefacto ei ad *Heynium* aditu, ut seminarii philologici sodalibus adscriberetur, effecit. Quo ipso ex aliqua parte victui provisum est. Neque vero in eo acquiescere amicissimi hominis studium, verum non prius desistere, quam Noster juvenum latino sermone instituendorum copiam nactus, jam habere videretur unde, si non laute, at commode satis, viveret. Jam, qualem sese *Tiedemannus*, Seminarii commilito, praestiterit, quam fidelem operam in optimis literis collocarit, nemini ad intelligendum difficile est, cogitanti, quo ille animo Gottinga discesserit, et quo eodem redierit; et vero loquitur ipsius Heynii testimonium, quo is Nostri de Stoicorum placitis librum commendare instituit. Atque in hac disciplina *Tiedemannus* primum amplexus est grammaticam interpretationem, unicam intelligentiae effectricem, imbutusque est eo antiquitatis sensu, quo destitutus nemo quisquam cum laude, nedum cum utilitate in veterum philosophorum sententiis explicandis versetur.

Quarum scholarum usum jam tum ita assecutus est Noster, ut quam diutissime ipsis interesse desideraret. Diversum fuit Heynii consilium. Is a Carolini Cassellani curatoribus rogatus, ut designaret, qui ipsi Graecis latinisque literis docendis maxime idoneus videretur, *Tiedemannum* commendavit. Quo judicio probato, res prius convenit, quam Noster ipse quidquam rescisset. Cujus rei eam caussam habuit Heynius, quod *Tiedemanni* et doctrinam nosset, et vitae necessitatem, et vero animum a loci mutandi consilio alienissimum. Accitur *Tiedemannus*, ostenditur ac-

ceptae conditionis ratio et discedendi necessitas. Jam cum refragando in re transacta non esset locus, Cassellas abit Noster (autumno anni 1776) gratissimo in providum amicissimumque sibi praeceptorem animo, quem deinde publice quoque testatus est, cum eidem historiae philosophicae primum Tomum inscriberet.

Deduximus *Tiedemanni* vitam eo, ubi is non tam praeclarae indolis laetam spem ostendebat adolescens, quam, constanti aetati propior, egregios ingenii sui foetus edere coeperat. Jam ex iis, quae adhuc exposuimus, haec duo nobis videntur effici: primum, in eo viro erudiendo conformandoque conspirasse tres illas rerum humanarum gubernatrices, naturam, fortunam, disciplinam. Naturam nemo negaverit in eo optimam fuisse, cujus, vix infantia egressi, indolem severior patris disciplina non obtuderit, cujus pueritia per obtrusam sibi solitudinem ingeniose luserit, qui deinde juvenis indefesso ad virtutis laudem studio contendens, omnes ejus caussa labores exantlarit, omnes voluptates contemserit. Fortunatum autem praedicabimus eum, qui, si minus facili benignoque, at intelligenti tamen patre usus sit, et generosae, quae in puero inerat, indolis perspicaci, eodemque rebus ita lautis constituto, ut, quoad vellet, filii necessitatibus prospicere posset; fortunatiorem etiam dicemus eundem, qui condiscipulum nactus sit, cujus doctrina ipsum scientia augere posset, exemplum excitare, cujus amor auxilium semper paratum ostenderet. Denique accessit ars et disciplina, primum ludi magistrorum, si non subtilis et eximia, at utilis tamen, doctior deinde, in gymnasiorum stadiis, voce, auctoritate intelligentium praeceptorum, commilitonum studiosorum exemplo, legendi, commentandi industria; quae omnia egregie instituta affectaque, egregie confecit Academiae professorum et doctrina uberior, et politior elegantia.

Alterum has res consideranti hoc occurrit, quod singulas ingenii doctrinaeque virtutes, quas in constantis aetatis viro consummatas admiramur et suis quasi numeris absolutas, in ipso puero adolescenteque extremis quasi lineis de-

scriptas cognoscimus, ut futurae praestantiae laetum quasi augurium inde praecipere liceret. Quo in genere primum est illa, quam saepe diximus, mentis alacritas et cogitandi sollertia, quam in uniuscujusque docti indole inesse necesse est, deinde, ut sigillatim videamus: illud philosophorum omnium placita cognoscendi studium, quod eum adeo in Bruckeri libro defixit, denique acris illa animi humani observandi pervestigandique cupiditas, quae ipsum ad Fieldingianarum fabularum lectionem ferebat. — Quae ipsa sicut historiae philosophicae et psychologiae quendam statorem portendunt sospitatoremque, ita ille adolescentis libere philosophandi modus ingenium arguit, numquam uni alicui emancipatum.

Illuc revertar: quae ceteras aetatis partes bene descripserat fortuna fautrix, ab eadem extremus quoque actus, tamquam a bono poëta bene perfectus est. Quo beneficio favoreque, si quis umquam, Noster dignissimus fuit, cum et ipse a studiorum industria nihil umquam remitteret, sed usque ad extremum vitae tempus, quod natura in ipso ingenuisset, perficeret.

Fortunae, qua *Tiedemannus* nunc quoque usus est, favor facile cognoscetur, si urbis in qua ille jam vivebat, opportunitates spectemus. Erat enim tunc Cassellarum rara quaedam in literis felicitas; eaque urbs, cum semper optimarum artium nutrix et fuerit et habita sit, hodieque floreat tum praestantium artificum eruditorumque hominum frequentia, tum phidiacorum operum decore: ea igitur numquam tamen tot tantisque simul literarum doctoribus affluere visa est, quam quo tempore Noster illuc habitatum concessit. Ut enim eos omittam, qui *Tiedemanni* collegae etiamnum academiam nostram ornant: habebant Cassellae tunc Johannem Mullerum, rerum Helvetiarum gravissimum scriptorem, habebant Dohmium, qui deinde summis rebus admotus est, habebant Georgium Forsterum, qui immatura morte gravissimum literis damnum intulit, Soemmeringium, at qualem virum, ut alios praetermittam. Horum omnium congressibus floruit nobilissimi Schlieffenii domus, qui ab intimis *Principi Nostro* consiliis, exercituique praefectus,

eodem, quo literas studio, earum cultores prosequebatur. Quorum virorum et vitae et studiorum rationem sciscitanti mihi describere solebat humanissimus *Casparsonus* *), qui eadem cupiditate, qua bonas artes fovebat, ad eorum hominum familiaritatem sese adplicuerat. Quo consilio idem una cum *Tiedemanno* symbolarum literariarum duo volumina edidit.

Atqui intellectu facile est, quantopere *Tiedemannus* ex horum virorum familiaritate, cujus usus quotidianus datus esset, ad sua literarum studia formandumque ingenium profecerit. Neque vero minus exterorum eruditorum conveniendorum copiam faciebat ea urbs, quae semper peregrinantium frequentia celebratur. In hujus felicitatis parte primaria ponere Noster solebat suam cum *Tetensio* conjunctionem. Etenim tunc quidem *Tiedemannus* philosophando eo pervenerat, ut eorum rationem maxime probaret, qui animam concretam dicunt (qui materialismus vocatur), ita tamen ut, contra atque ii faciunt, neque Deum neque animum immortalem tolleret. Jam cum ei sententiae in dies magis magisque faveret: Tetensius Cassellas venit. Quem virum cum maxime admirabatur Noster, utpote recens ab ejus libri lectione, quo ille singularum animi facultatum rationem modumque sagacissime subtilissimeque pervestigavit et definivit, quem librum inscripsit: *Tentamina philosophica.* Jam ejus viri praesentis sermonibus, magis etiam absentis epistolis sese haec debere semper postea fassus est, ut non modo, quae adhuc placuisset, ratio, ea sibi nunc vehementer displiceret, verum etiam, ut sua ipse de rebus metaphysicis placita omnia penitius acriusque excutere, arctioreque et concinniore nexu jungere instituerit.

Jamque certa vitae sede locatus *Tiedemannus* de matrimonio ineundo cogitavit. Duxit valde juvenem *Sophiam, Henrici Rodthausenii,* saltuum Cassellanorum curatoris filiam, quae maritum acerba morte ereptum hodieque luget. Ex ea tulit sex liberos:

---

*) Ejus viri, qui haud ita diu Tiedemannum in morte praecessit, vitam adumbravit Carolus Wilhelmus Justi noster in *Neuen Teutschen Mercur* 1803. m. Februar.

Fridericum, natum d. 23. Augusti m. 1781, qui cum laude medicae artis studia sectatus, eandem factitare cogitat *).

Dorotheam Eleonoram, n. d. 17. Januar. 1783.

Justum, n. d. 13. Septemb. 1784, qui mercaturae operatur.

Wilhelmum, n. d. 6. August. 1786.

Carolum Henricum, n. d. 20. Febr. 1788, qui in literarum tirociniis versatur.

Christinam Wilhelmiam, n. d. 22. Januar. 1791. Quae cum Wilhelmo immatura morte patrem praevertit.

Neque vero in recentis conjugii dulcedine literarum studium refrigescere sibi passus est Noster, sed acrius etiam urgere coepit. Atque ex quo Tetensii sermonum literarumque auctoritate utebatur, cupidius etiam amplectebatur, quam semper plurimi fecerat rationem eorum, qui experiundo philosophantur, totusque erat in Psychologiae studio. Inde duplicem fructum percepit res literarum publica: primum eum librum, quo humanae mentis naturam pervestigare aggressus est, tribus partibus absolutum. Quo ipse largam observationum copiam, quas lectio multiplex et bene instituta suppeditabat, expromsit dijudicavitque. Nostro enim semper visa est, contra atque Heraclitus **) sensit, *πολυμαθίη νόον διδάσκειν*.

Alterum hoc instituit, novo, quod equidem sciam, at egregio consilio, ut in filio stirpis maximo, recens nato, diligenter observaret simplicissima naturae humanae initia aperiretque singularum animi facultatum rationem, prout suo quaeque tempore sese excludit quasi, atque explicat, et deinceps paullatim crescit. Quas observationes accuratissime consignatas et suo quamque ordine deductas expositasque cum doctis communicavit in symbolis Hassiacis literariis. Qua in re qualis ipsius fuerit et observandi diligentia et perspiciendi sagacitas grati agnoscunt quicunque

---

*) Confer nunc literas meas ad hunc Tiedemannum datas, nimirum Nr. 16. sive extremas.

**) Diogen. Laërt. in ejus vita: *μεγαλόφρων δὲ γέγονε παρ᾽ ὁντιναοῦν καὶ ὑπερόπτης ὡς καὶ ἐκ τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ δῆλον, ἐν ᾧ φησὶ „πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει“* — adde Aul. Gell. N. A. Praefat. pag. 7. edit. Gronov. ibique Interprett.

in hac parte, vel post ingeniosissima summorum virorum inventa, hodieque elaborant.

Praeterea fervebat historiae philosophicae studium. De qua qui adhuc optime meruerant, in iis fere desiderabatur ille subtilior sensus antiquitatis, quo cavetur, ne veteres philosophos e recentioris aetatis indole metiamur, sed penitus nos insinuemus in eorum cogitandi disputandique modum. Cujus rei culpa potior in illud conferenda est, quod graeci libri per Germaniam rariores erant, earumque institutio literarum aut nulla aut nullo in numero. Diversa hujus temporis ratio erat, quo *Tiedemannus* ad eam historiam accessit. Jam paratior erat exemplorum graecorum copia, expeditiorque ejus sermonis addiscendi facultas. Quo studiosius Noster illam disciplinam aggressus est, quae et ingenii exercendi uberrimam materiam praeberet, neque mediocris laudis spem ostenderet, cuique excolendae ipse praesidium paratum haberet in interpretationis usu, quem ab Heynio perceperat. Accedebat bibliothecarum, primum Gottingensis deinde Cassellanae opportunitas, largo librorum cujusque generis apparatu instructarum. Illa quidem *Tiedemannus* ita usus est, ut sub ipsum muneris initium eum librum edere posset, quo Stoicorum placita illustravit, qui hodieque in primariis ejus generis censetur.

Cassellani denique muneris ea ratio erat, quae plurimum vacui temporis suppeditaret, quod ille, qui horas carpere didicisset, vel philosophicis meditationibus insumebat, vel congerendae materiae literariae. Etenim jam tum cogitationes suas lectionesque comparavit ad illud majus opus, quo postea universae philosophiae historiam illustravit. Quam historiam velut e capite deducens scripsit sub id tempus *Vitas et Placita Vetustissimorum Graeciae philosophorum*. Quo tunc libro doctissimis viris suam cum scientiam philosophiae antiquitatisque tum subtilitatem judiciumque probavit. Illam quidem majori operi destinatam sylvam ex eo maxime tempore disponere et explicare instituit, quo in hac academia docere coeperat. Quod factum est anno 1786, cum *Serenissimus Princeps*, hujusque academiae sospitator,

eorum, qui adhuc Cassellis docuerant, plerosque huc concedere jussisset.

Jam eo in loco constitutus erat *Tiedemannus*, ubi doctrinae suae copias in plurimorum usum explicare posse videretur, cum magna quotidie juvenum discendi cupidorum multitudo ad eum audiendum ventitaret. Cui ille officio egregie satisfaciebat lectionibus quas inde habere coeperat, cum vel traderet Logicam, Metaphysicam, Jus naturale, Psychologiam, Philosophiam morum, vel nunc philosophiae nunc ingenii humani Historiam narraret, vel Plutarchi, qui fertur, de placitis philosophorum libellum, Platonicorumque dialogorum unum itemque alterum explicaret cum carminibus Homericis.

Atque ut primum de illis videamus, quibus singulas philosophiae partes illustravit, earum praestantia nulla re magis aestimari poterit, quam si animo consideremus cum ingeniorum juvenilium modum, tum aetatis nostrae, per Germaniam maxime, morem et indolem. Jam primum hoc unicuique patet: communi consuetudine receptum esse, ut ludorum tirociniis statim succedant studia philosophica. Unde fit, ut quaecunque prima tradita fuerit philosophiae ratio, ea tenellis animis altissime consignata, optima videatur, adeoque plerique casu philosophi fiant. Alterum vitium, aetatis, in eo continetur, quod nonnulli philosophi philosophiam disserendi spinis verborumque novitate obstructam stupenti juventuti tamquam unice veram venditantes, tanta se mutuo contentione petunt, ut alius alii desipere videatur, juvenesque, simulac suspicando magis, quam intelligendo aliquam sectam amplexi sint, de abstrusissimis rebus certo judicio, ac velut divinitus decernant. Quo quidem res eo jam adducta est, ut ipsa divina illa philosophia nonnullis contemtui esse incipiat.

Illi quidem vitio *Tiedemannus* salubriter occurrit, cum se ex verborum obscuritate et involucris ad Socraticam perspicuitatem explicare studeret, omniaque faceret, quo tironibus aditum ad philosophiam apertum munitumque praestaret. Alteri malo, si quis umquam, Noster efficaciter mederi poterat iis scholis, quibus *ejus scientiae historiam*

explicabat. Nam cum omnium philosophorum, qui in aliquo numero sunt, et familiam aliquam ducunt, opiniones per temporum decursum subtilissime enarraret et exponeret, optime docuit adolescentes, cujuslibet fere novae rationis sequaces, sibi ipsos diffidere, animumque ab assensionis temeritate cohibere. Ex quo judicari poterit, quam haec historica philosophia, quae numquam non saluberrima fuerit, necessaria sit huic potissimum aetati. Quod qui cogitaverint, ii jam desiderantes quaerere videntur: unde nobis alter *Tiedemannus?*

Ceterum ille, qui semper ad discipulorum utilitatem, numquam ad ingenii ostentationem doceret, in oratione sua verbis utebatur propriis et plerumque a communi dicendi more repetitis. Cui ille rei tantum tribuebat, ut si vel maxime dictionis nitorem venustatemque remiseris, delectus tamen elegantiam dignitatemque interdum desiderare videreris. Illud laudares, quod verborum alte sonantium pompam bellulorumque sensiculorum scitum ornatum aspernaretur, neque quidquam magis odisset, quam hominis speciem auram popularem captantis. Et vero, cum in scholis, tum in reliqua quoque vita ea erat ejus oratio, quae magis peritis placeret, quam quae vulgi ora adverteret, ut plane in eum cadere videretur illud Hippolyti apud Euripidem*): Ubi ille, „se ad turbam verba facere, ait, imperitiorem esse, sed inter aequales, paucosque doctiorem, idque locum habere, nam qui apud doctos nihil valeant, eorum apud vulgus gratiorem orationem esse.“

Sicut in omnibus praelectionibus suis alienissimus erat ab ea jejunitate, qua scholastica quaeque compendia laborare solent, ita eae, quibus psychologiam empiricam tradebat, redundabant laeta exemplorum, singulas regulas illustrantium, ubertate, quam ille sibi et experiundo et legendo

*) Euripid. Hippolyt. v. 989 sqq. cf. Plutarch. de Liberor. educat. ed. Xyl. pag. 6.

Ἐγὼ δ' ἄκομψος εἰς ὄχλον δοῦναι λόγον,
εἰς ἥλικας δὲ κὠλίγους σοφώτερος.
ἔχει δὲ μοῖραν καὶ τόδ'· οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς
φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.

compararat. In graecis scholis *Tiedemannus* hoc maxime consilium sequi videbatur, ut literarum studiosos aliquo antiquitatis sensu imbueret. Quod ipsum praecipue eminebat in Homero explicando, quem cum tractabat, in antiquiorum hominum simpliciorem vitam digrediens, peregrinantium narrationes utiliter adhibebat. Platonicarum lectionum major etiam usus erat, et is, qui ab „*Argumentorum*" scriptore exspectari posset, in eoque contineretur, quod cujusque dialogi summam, e sermonis circuitu et diverticulis repetitam, inque paucarum sententiarum fines conclusam explicaret. Ad criticae grammaticaeque interpretationis leges minus adstrictas habebat eas scholas, unde fiebat, ut is demum cum fructu iis interesse videretur, qui ab ea disciplina, qualem Ruhnkenius ille in Timaeo descripsit, paratior ad easdem accessisset.

Sub ipsum Marburgensis stationis initium exercebat Nostrum nova philosophiae ratio, quae in Kantiano illo libro proposita, omnium tunc animos erigebat intendebatque studia. Notum est, ejus ei philosophi placita haud ita placuisse, ut sese ipsi adplicaret. Quo in consilio utrum recte senserit, an secus, ejus quidem rei penes alios judicium esto. Illud laude dignum videtur, quod, cum maxime eam rationem publice impugnare conaretur, eam sententiam et prae se tulit, et scripto etiam aliquo consignavit, quae gravitatis liberalitatisque plenissima esset, dignissimaque philosopho, qui molestissime ferret quemquam dicendi libertate carere. Cumque aliquando contra eam sectam insurgendum sibi esse credidisset, tamen in hac ipsa caussa idem sese viri ingenium praestitit, quod in omni vita, in quo nihil esset hostile, nihil atrox, nihil pertinax, sed mollia flexilia omnia. Quo circa, a philosophicis bellis alienissimus, ex proeliorum pulvere et decertantium strepitu libenter sese recipiebat ad suos veteres, nunc Zenonis porticum repetens, nunc Epicuri hortos, nunc Academiae amoena spatia, nunc Lyceum Aristotelis.

Jam enim (circa a. 1789 sqq.) totus erat in digerenda ea copiarum abundantia, quae sibi per multorum annorum colligendi industriam affluxerat.

Cujus rei fructus provenit ille liber, quem *de caussis Philosophiae* inscripsit, quo omnis ejusdem historia explicatur. Quod opus, quemadmodum ipse in eodem laudum suarum domicilium collocavit, ita summas laudes meruit; sive doctrinae diligentiam spectares, qua quique loci e suis fontibus repetuntur, sive explicationis lucem, qua abstrusissima et impeditissima plurima expediuntur et ad liquidum planumque perducuntur. Grati praecipue agnoscunt philosophi, admiranturque eum legendi colligendique laborem, qui ne Scholasticorum quidem barbariem, ferrea dictione disputationumque spinis horrentem, refugerit, sed ad eam obstructam fere antea philosophiae partem viam aperuerit, docueritque, quam multa bonae frugis plenissima laterent in illis incomtae philosophiae sordibus. In eum librum ne plura dicam, faciunt optimi harum rerum judices doctissimi duumviri, qui postea haud mediocri cum laude eandem historiam aggressi, quae ipsi *Tiedemanno* deberent, ingenue professi sunt*). Ceterum in illo opere si quae recte notari videntur, ejus rei culpa praecipua fuerit in ipsis uberrimae materiae copiis, quibus animus, velut mole obrutus, saepius vel disponendi elegantiam vel limae stilique curam negligeret.

Jam vero quo diutius ille in ea historia habitabat, quoque penitius animo complectebatur philosophiae cujusque aetatis vicissitudines nostraeque potissimum subitarias conversiones: eo magis sese recipiebat ad eorum philosophorum rationem, qui, quia nulli certae sectae sequaces, e singulis, quae sibi teneant, eligunt, Eclectici dicuntur. Aetate provectior libenter prae se ferebat illud Socraticum; id unum se scire, se nihil scire, magis in dies magisque diffidens philosophiae, quatenus ea hoc sibi sumeret, ut de rerum humanarum divinarumque omnium summa demonstrando decerneret.

---

*) Vid. praeter Buhlii librum, Tennemanni Praefationem ad suam: *Geschichte der Philosophie* Leipz. 1798. Erster Band pag. 3. Quem virum doctissimum quanti Tiedemannus faceret, norunt utriusque familiares.

Superstitionem tollendam esse statuebat, quam qui maxime, et radicitus exstirpandam: religionem non tollebat. Illam enim, historia edoctus, noverat fusam latius animos hominum opprimere eorumque imbecillitatem occupare; neque quemquam, eidem addictum obnoxiumque, posse umquam quieta mente consistere, saepe etiam fieri ut idem ad flagitia compellatur. Religio quantum, optima quaeque maxime, generi humano profuerit, eadem historia magistra didicerat. Ceterum, quod in eo homine mireris, in aetatis virilis constantia, religionem ipse suam, a vividiore penitioreque animi quodam sensu abductam, magis in certa mentis cogitatione contineri volebat. Neque tamen eos impugnabat, qui aliter sentirent.

In vita et moribus is erat *Tiedemannus*, qui vivendi rationes nullas extrinsecus suspensas haberet: etenim sicut in oratione, sic in actione germanus Socraticus, qui philosophiam ad mores referret. Polycletum ferunt, insignem statuarium, librum de artificio suo edidisse, quem canona inscripsit, quo libro omnia, quae in hominis statua fingenda observari ars juberet, subtilissime explicuit. Eodem tempore statuam a se confectam publice proposuit, in qua omnia ea diligenter observata erant; quam statuam ipsam quoque canona nominavit. Eam rationem Noster secutus est, qui et aliis honesta praeciperet, et ad regulam suam ipse vivere videretur. Socraticum hominem hoc quoque arguit, quod philosophia, tamquam vera animi medicina usus, sibi ipse mederi posset. Inde factum est, ut ab omnibus et cupiditatibus et sollicitudinibus liberi vultus semper idem esset.

Neque minus omnem victum cultumque ad Socraticam referebat frugalitatem. Quotidie fessas studiorum laboribus vires honestissime reficiebat ambulando; quo illud consecutus est, ut sibi numquam torperet desiderium cibi, cui digerendo eam curam adhibebat, ut a coena recedens quietem corpori daret, animum lectiuncularum suavitate recrearet. Saepe etiam lavabatur, interdum vel per veris autumnique intemperiem. Si quando subseciva quaedam tempora incurrissent, ea ille perire non patiebatur, sed venationi

tribuebat; qua vehementer delectatus est, non tam praedae utilitate ductus, quae, cum is oculorum acie minus valeret, rarior contigit, quam salubritate exercitationis.

Ceterum omnia officii munera reliquaque negotia, publice jussa, religiosissime obiit, quippe qui scholas suas numquam fere negligeret. Quo magis, cum feriarum otium aderat, literarum studiis urbanoque opere defessus animus gestiebat, et quasi volitare cupiebat, cura laboreque vacuus. Tuncque rus ex urbe concedebat. Rusticabatur fere cum illustri a Meisenbug, qui bonis artibus humanitateque sua generis nobilitatem egregie ornat. Ei viro Noster primarii sui operis partem quartam inscripsit. In illo quidem praedio *Tiedemannus*, cum ad multiplicem animi remissionem descendere soleret, venationem praecipue: plurimas tamen horas accommodabat ad legendum vel ad eas scriptiones, quae et exiguo tempore absolverentur, neque seriorum adparatum requirerent.

Neque vero quisquam, nisi qui hanc viri industriam viderit, ingeniumque efficax inque labore felicissimae celeritatis cognoverit, intelligere poterit eum, eo aetatis gradu constitutum, tot jam tantaque librorum volumina edidisse. Quibus alia plurima addi possint, minus in vulgus nota, velut quae Illius censurae leguntur in *Actis literarum universarum Jenensibus*, inque *Bibliotheca Germanica*, qui philosophiae loci, omnes quotquot ibi exstant, *Encyclopaediae Germanicae Francofurtensi* ab ipso inserti sunt, ut alia plurima omittam, quae ille, nomine non addito, per Ephemeridum literariarum opportunitatem disputavit.

Quorum laborum sicuti semper fere laudis praemium tulit, ita aliquoties insigniorem fructum utilitatis percepit, quem ille, tamquam diligens pater familias, numquam despicere visus est.

In utroque genere hoc est, quod Ipsius commentationum una ab *Academia literarum Gottingensi*, altera a *Berolinensi*, tertia deinde a *Teyleriana Harlemensi* in concertatione praemio ornata est. Josepho quoque secundo imperatore jubente cathedra oblata est in schola Budensi Hungariae (a. 1784); quam tamen ille conditionem recusavit. Quod

ipsum in academiam nostram studium reliquaque in eandem ejus merita remunerans, salarium ejus annuis ducenis thaleris liberalissime auxit *Serenissimus Princeps* (a. 1787); a quo Noster consiliarii quoque aulici ornamenta habuit. Prorector semel factus est (a. 1797); ceterum ab omni cura publica, quae non in officii muneribus esset, aversus quam qui maxime, ut qui nosse videretur, se minus valere agendi dexteritate, quam cogitandi sollertia.

Neque in eo quidquam aut in inferos supercilii, aut adulationis in potentiores: civilia, modesta, verecunda, liberalia omnia. Inde singularis illa in discipulos comitas, qua novitium quemque excipere solebat.

Consimilis caritas in omnes homines, sive doctos, sive indoctos. Illiteratam consuetudinem numquam aspernatus est, qua usus ad popularem simplicitatem demitti videbatur, alienissimus ab eruditorum quorundam ineptiis, qui quolibet in loco quoslibet inter homines de rebus difficilibus, certe suis solis, disputandum sibi esse credunt. Eruditorum tamen virorum sermones expetebat, praecipue, si qui certo rerum usu temperati essent. Neque quisquam in ejus amicitia antecessit ei viro, qui armorum tractationem cum literarum dulcedine felicissime conjungit. Optime quoque concordabat cum collegis suis omnibus, quorum nemo fere erat, quin amaret hominem antiquae fidei ac probitatis, qui sine ambitione, sine simulatione, sine malis artibus ad virtutem et honestatem tota mente ferretur*).

Tali modo cum tres fere et quinquaginta annos complesset, tantaque prosperitate usus esset valetudinis, ut semel tantum aut bis in tota vita medicinam adhibuisset: biennio abhinc ex intempestiva lavatione rheumatismo laborare coepit. Quem ita depulit et medici et sua deinde ipsius cura, et vero multo magis vegeti corporis robur, ut pristina valetudine usus, gravissimis laboribus sufficere

---

*) Secutus illud Pindaricum Nem. I. 36 sqq.

— *τέχναι ἑτέρων ἕτεραι·*
χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς
στείχοντα μάρνασθαι φυᾷ.

videretur. Et erat is sane labor, cum superiore hieme, praeter scholarum curas, primum in Denonii itinerario vernacule vertendo, deinde in expoliendo suo Psychologiae compendio defigeretur. Quarum commentationum dum altera conficitur, altera profligatur, *Tiedemannus*, qui ab instituto opere discedere nollet, bonas suas sibi ferias perdit. Neque tamen ita affectum corpus erat, ut per hujus veris intemperiem grassata lues Nostrum rapere posse videretur. Cujus mali primam ille impressionem sensit ex ambulatione reversus, quum cruditate contracta, noctem insomnem duceret, febrilique motu agitaretur. Iamque in pectus prorupisse videbatur omnis acutissimi morbi vis, quem Pneumoniam esse dixit auxilio vocatus *Moenchius* noster V. E. Tandem, sex fere diebus misere tractis, vir sanctissimus eo rediit, unde se ortum sciebat, et quo, tamquam verus philosophus, in omni vita cogitaverat (d. 24. Maj. m. ante lucem), cum annos vixisset quinquaginta et quinque. Pro funere laudatus est a *Carolo Wilhelmo Justi*, ecclesiarum superioris Hassiae Antistite. Qua is oratione non minus declaravit intimum animi sui in optimum praeceptorem collegamque sensum, quam nostrum omnium tam cari capitis summum desiderium.

Praeter eas schedas, quas supra laudavi, vernacule scriptas, suas ipse res paucissimis verbis iterum attigit *Tiedemannus* cum munus Marburgense adiret, quae ipsa leguntur in *Curtii Prolusione I. de Poloniae ad Germaniam habitu.* — Conferenda quoque est *Gadebuschii* Bibliotheca Livonica Parte III. Oris lineamenta exhibet aeri incisa effigies, quae Novae Bibliothecae Germanicae volumen quadragesimum ornat, verius tamen ea, quae adumbrata est in *Justii et Mursinnae Annalen der deutschen Universitäten. Marburg* 1798. pag. XXII.

Addamus scriptorum catalogum temporum ordine descriptum.

Versuch einer Erklärung des Ursprungs der Sprache. Riga 1772. 8.
System der Stoischen Philosophie, 3 Theile. Leipzig 1776. 8.
Gedanken über den Ursprung der Zauberei; im teutschen Museum 1776.
Eodem anno cum Volborthio edere coepit: Neue philologische Bibliothek. Leipzig 1776—78. (IV Volumina.)
Untersuchungen über den Menschen, 2 Theile. Leipzig 1777. Dritter Theil. Leipzig 1778. 8.
Ueber die Seelenwanderung; im teutschen Museum 1777.
Aphorismen über die Empfindnisse. ibid. 1777.
Progr. III. de antiquis quibusdam musei Fridericiani simulacris. Casselis 1778—80. 4.
Bemerkungen über die Aechtheit einiger Pythagoräischen Schriften; im teutschen Museum 1778. Part. 8. p. 150—172.
Einige Anmerkungen über die Pythagoräische Musik; in Forkels musikal. krit. Bibl. (1779.) Part. III.
Griechenlands erste Philosophen, oder Leben und Systeme des Orpheus, Pherecydes, Thales und Pythagoras. Leipz. 1780. 8. (Cf. Wyttenbach. in Bibliotheca Crit. VI. p. 27 sqq.)
Ueber die Minerva; in Mémoires de la Sociét. de Cassel. T. I. (1780.)
Ueber Plato's Begriff von der Gottheit. ibid.
Ueber die Gottheit Pan. ibid.
Hermes Trismegists Pöemander, oder von der göttlichen Macht und Weisheit, aus dem Griechischen, mit Anmerkungen. Berlin und Stettin 1781. 8.*)
System des Empedokles; im Göttingischen Magazin 1781. St. 45. S. 38—72.
De materia quid visum sit Platoni; in nova Bibliotheca philol. et crit. Vol. I. Fasc. I. (1782.)
Ueber das Angenehme und Unangenehme im menschlichen Leben; im Göttingischen Magazin 1783. St. 3.
Utrum scepticus fuerit an dogmaticus Zeno Eleates; in nova Bibliotheca philolog. critic. Fasc. II. (1783.)
Ueber die Möglichkeit einer anfangslosen Succession; in den Hessischen Beiträgen Part. I. (1784.)
Ueber die Natur der Metaphysik, zur Prüfung von Hrn. Prof. Kants Grundsätzen. ibid.
Fortsetzung der Prüfung von Hrn. Prof. Kants Gedanken über die Natur der Metaphysik. 1784. ibid. Part. 2.
Zur Geschichte der Buchdruckerprivilegien. ibid.
Vom plötzlichen Uebergange der Seele aus einem Entgegengesetzten in das andre. ibid. Part. 3. (1784.)
Ueber die Glückseligkeit. ibid. Part. 4.
Gedanken über die Ekstasen. ibid. Partic. 5. (1785.)
Ueber die Entwickelung der Seelenfähigkeiten bei Kindern. ibid. Part. 6.

---

*) Laudat hanc conversionem novissimus graeci libri editor. Vid. Hermetis Trismegisti Poemander. Ad fidem codicum manu scriptorum recognovit Gustavus Parthey. Berolini 1854. in eodem bibliopolio, pag. V.

Dialogorum Platonis argumenta exposita et illustrata. Biponti 1786. 8.

Woher kommt es, dass erwiesene Wohlthaten von Erheblichkeit, wenn sie einem Würdigen zu Theil werden, Liebe und Freundschaft bei dem Wohlthäter gewöhnlich erzeugen; in den Hessischen Beiträgen Part. 7. (1786.)

Dissertatio de quaestione: Quae fuerit artium magicarum origo, quomodo illae ab Asiae populis ad Graecos atque Romanos et ab his ad ceteras gentes sint propagatae, quibusque rationibus adducti fuerint ii, qui ad nostra usque tempora easdem vel defenderent vel oppugnarent. Marburgi 1787. 4.

Auszug aus den Akten eines im Jahr 1655 zu Marburg vorgefallenen Hexenprozesses; in den Hessischen Beiträgen (1787.) Partic. 8.

Bemerkungen über die Denkfreiheit; ibid.

Ueber die neuen Wunderthäter; im Intelligenzblatt für Hessen 1787. Partic. 10.

Schreiben eines Dorfschultheissen an seinen Sohn auf der Academie über die Gränzen des Glaubens. (ibid. Partic. 25. 26.)

Geist der speculativen Philosophie von Thales bis Socrates. Marburg 1791. — 2. Band, welcher von Socrates bis Carneades geht. ibid. 1791. — 3. Band, welcher von der neuern Akademie bis auf die Araber geht. ibid. 1793. — 4. Band, welcher von den Arabern bis auf Raymund Lullius geht. ibid. 1795. — 5. Band, welcher von Raymund Lullius bis auf Thomas Hobbes geht. ibid. 1796. — 6. Band, welcher von Thomas Hobbes bis auf Georg Berkley geht. ibid. 1797. gr. 8.

Ueber die Verbrennung der Alexandrinischen Bibliothek durch die Araber, ein Fragment aus dem 4. Bande des Geistes der speculativen Philosophie; in Schmid und Snell philosoph. Journal Vol. I. Partic. III. pag. 387—406. 1793.

Theätet. — Ein Beitrag zur Vernunftkritik. Frankf. a. M. 1794.

Ein schwarzer Flecken weniger im menschlichen Herzen; in der Berliner Monatsschrift 1796. Nov.

Ursprung des Glaubens an einen ehemaligen paradiesischen Zustand des Menschen und der Erde. ibid. Dcbr.

Ueber den Fetischdienst und seine Entstehung; in der deutschen Monatsschrift Leipz. 1796. Septbr. pag. 39—53.

Ueber die Friedensaussichten im Gebiet der Philosophie; in Wielands neuem teutschen Merkur 1797. pag. 128—144.

Preisschrift über die beträchtlichen Vortheile, welche alle Nationen des jetzigen Zeitalters aus der Kenntniss und der historischen Untersuchung des Zustandes der Wissenschaften bei den Alten ziehen können, herausgegeben von der königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin. Berl. 1798. gr. 8.

Dissert. de variis philosophiae morum principiis (ad nov. Prorectoris inaugurat.). 1798.

Etat présent de la philosophie en Allemagne (in: Magazin Encyclopédique par Millin. à Paris 1798. Nr. 21. — Adde ibid. Nr. 22 sqq.)

Idealistische Briefe. Marburg 1798. 8.

Siegfried von Lindenberg und sein Schulmeister. Ein Gespräch. In dem Kosmopoliten, eine Monatsschrift. 1798. Partic. 1. (pag. 21—34.)

Ueber Zweikämpfe auf Universitäten. ibid. 1798. Part. 2. p. 109—132.

Ursprung der Ordalien oder Gottesurtheile; in Biesters Berlin. Blättern 1798. Mart.

Das Wohlgefallen am Laster. ibid. April.

Theorie der Gefühle, aus einem psychologischen System als Probe; in dem Kosmopoliten. April. pag. 330—346.

Ueber Grundzüge des Genies; in dem Berlin. Archiv der Zeit. 1799. Febr.

Von der Entstehung der Duelle. (Berlin. Archiv 1799. März.)

Der ächtbürgerliche Sinn. ibid. Nvbr.

Ist das Dasein der Gegenstände bloss geglaubt oder erweislich? in den Resultaten, Bemerkungen und Vorschlägen von Aug. Hennings. (Altona 1800. 8.)

Reise in Pensylvanien und im Staate Neu-York, von einem adoptirten Mitgliede der Oneida-Nation. Herausgegeben vom Verfasser der Briefe eines amerikanischen Landwirths. Aus dem Französischen übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von D. Tiedemann. Mit 2 Kupfern. Berlin 1802. (Magazin von merkwürdigen Reisebeschreibungen, 23. Band.)

Welchen Einfluss hat die Dichtkunst, besonders in früheren Zeiten, auf die Bildung des Verstandes? Eine gekrönte Preisschrift von D. Tiedemann. Quae: in den Abhandlungen der Gesellschaft Peter Teylers van der Hulst in Haarlem (1802) germanico batavoque sermone legitur.

Vinant Denon's Reise in Nieder- und Oberägypten während der Feldzüge des General Bonaparte. Aus dem Französischen übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von D. Tiedemann. Mit 8 Kupfern. Berlin 1803. (Magazin von merkwürdigen neuen Reisebeschreibungen, 25. Band.)

Ut breviter de iis moneamus, quae Tiedemannus vel affecta vel profligata vel denique confecta in scriniis reliquit: sunt in iis (praeter *Psychologiae empiricae* compendium, quod docti alicujus studio edetur) eae copiae, quas supra diximus, pertinentes ad librum eum, quem inscribere cogitabat: Geschichte der Menschheit.

Est quoque alius liber, de philosophia morali, confectus fere, hoc titulo:

Allgemeine Gesetzgebung der Sitten.

Inventae quoque sunt sexaginta amplius schedae majores, quibus Tiedemannus *Aristotelis libros* φυσικῆς ἀκροάσεως vernacule interpretari instituit. In ejus libri Prolegomenis, in quibus de illius operis scriptore, auctoritate, summaque et constitutione copiosius disputatur, praeter cetera, hoc dicit Noster: sibi consilium esse Aristotelica omnia vertendi, quaecunque ad contemplativam, quam dicunt, philosophiam pertineant. Haec scriptio, profligata licet, tamen, priusquam typis forte describatur, desiderare videtur curam operamque docti alicujus, in hac antiquitatis parte probe versati*).

---

*) De Diterico Tiedemanno patre hujusque filio Friderico V. C. confer Striederi Hessische Gelehrten- und Schriftsteller-Geschichte Tom. XVI. p. 182—190 sqq.; itemque Christoph. Saxi Onomast. Literar. Part. VIII. p. 388 sq.

MEMORIA
ERNESTI GODOFREDI BALDINGERI,

SERENISSIMO HASSIAE PRINCIPI ELECTORI A CONSILIIS INTIMIS EJUSDEMQUE ARCHIATRI, PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, PROFESSORIS MEDICORUM ORDINIS MARBURGENSIUM PRIMARII; ACADEMIARUM BOICAE, ERFORDIENSIS, REG. VIADRINAE, GISSENSIS LITERARUM UNIVERSARUM; CAESAREAE ET HALENSIS WESTPHALICAEQUE NATURAE CURIOSORUM; ITEMQUE JENENSIUM ET MINERALOGICAE ET ARTIUM ELEGANTIORUM; CASSELLANARUM DENIQUE CUM ANTIQUITATIS TUM AGRICULTURAE ET ARTIUM SOCII.

ACADEMIAE MARBURGENSIS AUCTORITATE

SCRIPSIT

GEORGIUS FRIDERICUS CREUZER,

LITERARUM GRAECARUM ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSOR P. O.

1804.

Apud Xenophontem*) Socrates Aristodemo, Deorum providentiam neganti et cultum ridenti, tum corporis humani figuram atque perfectionem explicat, tum animi universam indolem singulasque virtutes praedicat, quo intelligatur a Deo immortali hominibus esse provisum. Cujus rei firmandae caussa plurima artificia enumerat ab hominibus excogitata, in quibus et illud esse ait, quod iidem prae ceteris animantibus valeant νόσοις ἐπικουρῆσαι *morbis mederi.* Quod verissimum esse constat, quatenus medendi *artem* cogites. Nam ab ea quidem parte cetera animalia benigniorem naturam nacta esse videntur, quod ea vel multo rarius male habent, vel si quando aegrotarint, coeco quodam instinctu ad ea feruntur, quorum pastu cito convalescant. Humanae naturae in ceteris rebus prae-

---

*) *Memorabil.* Socrat. I. 4. 13. quem locum totum expressit Cicero de Natura Deorum II. 54 sqq.

stantia hac sola brutis cedere videtur, quod homo et laborat crebrius et difficilius sanatur. Quare in eo curando mature artificium quaesitum, expetitaeque herbae, ad quas indagandas haud absonum fidei est nonnullas bestias, serpentes maxime, ceteris sagaciores, rudioribus populis quasi viae duces fuisse, quarum solertiam illi imitarentur.

Itaque quod in reliquis animalibus naturae est, hoc artis beneficio acceptum refert humanitas. At quali beneficio? Nimirum, quo demto reliqua omnia, quotquot numerantur commoda vitae, injucunda, caduca, inania reperientur. Quippe in summa opum cujusque generis affluentia ingeniique copia et dexteritate, nisi corpus simul animi optatis obsequatur, miser et eris et tibi ipsi non minus quam aliis videberis. Quicunque igitur corpus menti morigerum reddunt, ii reliquorum quidquid jucundum habetur ejus usum nobis porrigere putandi sunt. Quare recte ille, apud Aeschylum*) ad Caucasi scopulum affixus, Prometheus, quo injuriae sibi illatae sensum suorum in genus humanum meritorum conscientia mitiget, et plurima alia commemorat a se salubriter excogitata et medicinae rationes a se inventas gloriatur.

Atque praeclarum illud artis salutaris inventum gestiens fabularum suavitate antiquitas mirifice expressit mytho de Aesculapii natalibus, educatione et institutis. Cui tamquam medicae artis praesidi cum alia nonnulla animalia adjungebant**), tum praecipue serpentem, quam bestiam, ducti forte ea observatione, quam supra attigi, ut salutis genium***) singulari quadam veneratione prosequebantur.

---

*) Prometh. vinct. v. 478 sqq.

**) Ut gallum, lupum, caprum in Epidauri numis Eckhel. D. N. V. Part. I. Vol. II. pag. 289.

***) Cf. Beger *de numis serpentiferis*. Colon. March. 1702. p. 11. Aegyptii quidam dracunculi *Agathodaemones* (boni genii) vocati, serpentiumque allapsus boni ominis loco habitus. Inde serpens *Aesculapio* et *Hygiae* saepissime in numis adjunctus, *Eckhel.* l. c. Vol. IV. p. 34 sq. Quam in rem docte, ut adsolet, nonnulla alia contulit Boettiger in eo libello, qui inscribitur: die heilbringenden Götter, Vimar. 1803. — Ceterum reptilium injecta mentio admonet loci Xenophontei,

Infinitum foret alienumque a nostro consilio uberius persequi quaecunque vel rudiorum hominum fingendi libido, vel poëtarum reliquorumque artificum doctius ingenium excogitaverat, quo ii gratum in Deos medelarum auctores animum testarentur. Quorum artem exprimere arduum est: pietatem licet imitari, cum jam commendanda memoria viri sit, quo nemo facile felicius reddidit mitissimum illum artificem morborumque propulsatorem heroa Aesculapium*),

ERNESTI GODOFREDI BALDINGERI.

Cujus res ordine narrabimus.

Vixere *Baldingeri* a saeculis inde in Helvetiâ, Alsatiâ inque agro Friburgensi Brisgoviae, vivuntque hodie in Comitatu Badensi, haud obscuro loco geniti, ut qui in majoribus suis Episcopum quondam Helvetium habeant. Gentis insignia aeri incisa exhibet *Weigelius***). Nostri avus Antonius, cum aetatem virilem attigisset, relicta fide Romano-catholica, quam more majorum puer imbiberat, Argentoratum se contulit, ubi tibialium texendorum artificium

---

qui est in eodem capite, quo supra usus sum. Etenim quod ibi legitur §. 11. ἑρπετοῖς de reliquis, excepto homine, animalibus omnibus, illud molestum est docto cuidam interpreti, ut magis e poëtarum quam e prosaicorum more dictum. At, quod optime nuper monitum est, hoc quidem loco soli animalium trunci intelliguntur, quibus deinde pedes a Deo additi dicuntur. Quod ipsum cum explicare Socrates instituerel, minus recte usus esset voce προβάτοις, quod antiquioribus scriptoribus usurpatur de quadrupedibus omnibus, vid. Herodot. I. 188. cf. Vackenaer. ad IV. 61. adde Voss mytholog. Briefe I. pag. 105. Ilgen. ad Hymn. Homer. p. 479. Illud quoque huc facit quod in Xenophonte versemur, hoc est in eo scriptore, qui etiam, ubi necessitatis multo minus quam hoc loco sit, poëticis vocabulis nonnumquam delectetur, vid. Hermogen. περὶ Ἰδ. p. 384. ed. Sturm.

*) Pindari Pythia III. 12 sqq.

Τέκτον' ἀνωδυνίας
Ἅμερον γυιαρκέος Ἀσκλαπιόν,
Ἥρωα, παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων.

**) Im Wappenbuch, Nürnberg 1734. Vid. M. Conr. Curtii Commentationem de habitu Livoniae pristino ad Germaniam, Marburgi 1786, ad cujus calcem suas ipse *Baldingerus* res extremis lineis adumbravit.

addisceret. Unde Erfurtum Thuringorum concessit, ibique in civitatem adscitus utilissimam operam navavit instituendae textrinae, quae brevi adeo floruit, ut inde trecenti amplius opifices alerentur. Quae res ita arrexit civium industriam, ut multi, novam tunc quidem in illis oris artem aemulati, fructum inde haud mediocrem perciperent.

Neque vero idem opus meditans sola terrestria sequebatur, sed non minus rerum divinarum sensu vigebat. Cumque se Deo peculiari quodam grati animi officio devinctum crederet, quod rectiorem, uti arbitrabatur, salutis viam monstrasset, percitus quondam hujus beneficii sensu, domo se proripuit unaque cum uxore, quam Argentorato secum abduxerat, in genua provolutus hoc voti nuncupavit: ut primo natus ex se eque suis quisque deinceps posteris omnium saeculorum sacro ministerio addiceretur. Quae res, quod infra patebit, plurimum in Nostro instituendo valuit.

Editus is est in hanc lucem in vico agri Erfordiensis *Mega-Vargula* sive *Varila*, antiquissima sede illustrium *Schenck de Varila*, d. XVIII. Maji m. a. 1738 patre *Joanne Friderico*, qui ibi sacra faciebat, animi pietate sanctitateque morum non minus commendatus, quam praecipua quadam doctrinae copia. Matrem habuit e Lutheri illius progenie *Barbaram*, filiam Henrici Godofredi *Sahlii*, verbi divini ministri apud Binderslebienses prope Erfurtum.

Initia religionis et literarum quum pater ipse tradidisset, datus ille est (a. 1751) in disciplinam Gymnasii Gothani praeceptorum, inprimis *Stussii*, qui tunc eam scholam regebat, docendi arte non minus quam doctrinae laude clarus. Hujus viri contubernio usus in literis humanitatis egregie profecit. Inde Longosalissam abiit, ibique Gymnasii alumnis adscriptus (a. 1753) praeceptores habuit Meinersium Rectorem et Lindnerum, qui deinde scholae Arnstadiensi praefuit.

Atque in ea urbe traxit *Baldingerus* amorem doctrinae medicae. Namque pater, quo filii, quem unicum unice diligebat, non eruditioni modo sed nec minus moribus consuleret, sollicite prospexerat ut honestorum hominum consuetudine uteretur. Itaque datus in contubernium convictumque

Seebachii pharmacopoli facultatem sibi concessam gaudebat visendarum herbarum reliquarumque rerum naturalium, quae ad conficienda medicamina adhibentur. Quo ipso tantus rei medicamentariae adeoque deinceps medicae amor sese in ejus animum insinuavit, ut quidquid vacui temporis superesset, illud paene totum ei studio impenderet. Unde factum est, ut subinde acrius increparetur a praeceptoribus, praesertim ab eo, qui hebraica tradebat. Quas literas Noster et natura fastidiebat, neque sibi necessarias arbitrabatur, qui aliquando medicinam facturus esset. Omnia alia pater, qui sacrae linguae cognitione prae ceteris pollere filium vellet, quem sacro muneri destinasset, quo pium avi votum redderetur. Qua studiorum discrepantia factum est postea, ut quem pater per academiae stadia in theologiam intentum putaret, idem totus in medicina esset, donec tandem ille, diu frustra reluctatus, filii precibus cessit.

Altiora studia aggressus Noster est in academia patria Erfordiensi inde ab anno 1754. Ubi publice sectatus est rei medicae et philosophiae doctores Adhungium, Hessium, Grantium, Baumerum, qui deinde Gissae docuit, Riedelium, Kniphofium, Nunnium, Mangoldum denique. In quibus huic, quem postremo loco dixi, plurimum se debere fassus est, quod infra explicabimus. Privatos magistros sibi sumsit Martinium in utraque lingua, Beslerumque in latina, simulque, quo patri morem gereret, in hebraica.

Ibi quum biennium exegisset, abiit Halam Saxonum (a. 1756) adhibuitque in Physiologia et universa Anatome Philippum Adolphum Boehmerum, Eberhardum Jampertumque in Physica, Buchnerum in Materia medica, in Physiologia, Pathologia Semiotica denique Nicolaum, qui nuper ordinis medicorum Senior Jenae obiit. In quam academiam ipse Noster concessit anno post (1757) ibique praeceptores secutus est Philosophiae et Mathematum caussa Dariesium et Succovium: rei medicae gratia Faselium Kaltschmidiumque.

Unde in scholam patriam reversus a Beerio profecit in Metaphysicis, iterumque a Baumero in Osteologia. Hujus etiam lectionibus clinicis, quas vocant, sedulo interfuit.

Neque tamen quisquam magis ei et doctrina et consilio profuit, quam Mangoldus. Is simulatque juvenis summa quaeque appetentis ingenium cognoverat, eundem humanissime excepit in suam consuetudinem, et incendit adjuvitque liberalissime tum doctis sermonibus tum vero communicandis cum eodem libris in eo genere optimis. Quocirca jam sedulo versatus est in legendis scriptis summorum rei medicae praeceptorum cum veterum, ut Hippocratis ejusque interpretum, tum recentiorum, ut Sydenhami, Baglivi, Mortoni, Werlhofii, Huxhamii ceterorum. Etenim ad artem docendam animum adjunxerat. Quo consilio Jenam reversus Doctoris medicinae honores cepit disceptata, Nicolao praeside, exercitatione *de caloris febrilis effectibus* anno 1760; privatim docendi jus adeptus est defendenda eodem anno disputatione: *de effectibus salutaribus, qui fiunt in morbis.* Item proximo anno publici certaminis discrimini scriptionem subjecit, quam ediderat *de methodo medendi, quae adstruit, per morbos produci salutares effectus.*

Jam licet ille cum maxima et sua laude et discipulorum utilitate privatim doceret, tamen exacto anno protinus cathedra cessit; non quidem ut semper inde abesset, quod fuit patris consilium, sed ut eruditior aliquando eo rediret, quamquam jam tunc doctrina in eo inerat haud mediocris. Etenim pater, quo filium secum haberet, jusserat eundem habitatum concedere Erfurtum, ductaque ibi uxore, quam ipse eidem elegerat opibus abundantem, in otio vivere e re familiari et conjugis, et sua, quae et ipsa satis lauta erat, contentum medicinae doctoris ornamentis.

A quo consilio Noster alienissimum animum habuit, unice intentus eo, quo doctrinae copiam augeret usuque confirmaret. Illius quidem rei facultatem nactus erat cum liberalius concesso, quam vulgo solet, studiorum academicorum spatio, tum Mangoldi sui consuetudine, vita denique literaria, quam cum maxime Jenae agebat. Hujus tunc primum uberior potestas facta est. Nam tum quidem recruduerat bellum illud septenne, quod medicorum, milites aegrotos sauciosve adjuvantium, operam desiderabat. Ejusmodi locus oblatus *Baldingero* est in exercitu Borussiae re-

gis. Qua in re maxime cognitum est generosi adolescentis ingenium. Quotus enim quisque est, qui literarum otium adeoque stationis academicae jucunditatem commutaverit cum armorum strepitu laboribusque castrorum? Ille vero adeo flagrabat cupiditate observationis utilitatem cum eruditionis laude conjungendi, ut ejus rei caussa molestiarum quidvis suscipiendum arbitraretur.

Hoc animo castra Borussica secutus est *Baldingerus* inde ab anni 1761 d. 17. Maji. In quibus ita se gessit, ut artem facientis summa industria felicitasque non minus omnibus probaretur, quam doctrinae subtilitas et ubertas. Nam Torgaviae ad Albim, ubi per integrum annum et sex menses constitit, itemque Vitebergae, ubi item per aliquot menses egit, non solum aegrotantes sedulo invisit curavitque, diligenter sciscitando morborum caussas eventusque, verum etiam Chirurgos, qui in eo exercitu erant, centum amplius Osteologiam docuit, Physicam, Pathologiam, Therapiam, Materiam denique medicam. Cumque ab ordine Philosophorum Vitebergensi summos in Philosophia honores adeptus esset a. 1762, anno post ibidem e Lutheri cathedra, respondente Bosio, de militum morbis praecipue Prussici exercitus disseruit. Ejus argumenti ubertas cum ejusmodi scriptione non tam exhauriri potuisset, quam leviter attingi et suis quasi lineis designari, denuo illud aggressus est postea vernaculo opere, quod idem inscribitur *de militum morbis.* Quod cum intelligentissimi quique in hoc genere primarium censeant, non est, quod equidem in illud plura dicam.

Ejus libri materiem Ille sibi maxime comparaverat, cum anno 1762 Mart. m. ab *Henrico* illo, *Friderici* Prussiae regis fratre hujusque exercituum duce, jussus esset omnia, quotquot per ea castra instituta fuere, nosocomia lustrare. Quae res ut mirifice Nostrum scientia auxit, ita eundem summo vitae periculo objecit. Nam cum maximam plerumque diei partem circa aegrotorum lectulos moraretur, et acriter quaeque examinaret, fieri non potuit, quin nimio plus hauriret putridi et perniciosi vaporis. Accedebat, quod in illa vita saepe ne ea quidem suppeditabant, quae ad

victum valetudinemque necessaria existimantur. Unde morbo implicitus, quem ipse in illo libro descripsit, aegre servatus lente convaluit. In quo est sane quod miremur virum juvenem, qui cum domi otiose agere potuerit usus rei familiaris commodis, pro hominibus scientia sua juvandis ipsius vitae discrimen adire non recusaverit.

Neque vero defuere ei virtuti sua praemia. Nam, ut ceteros omittam, singulari in eum benevolentia fuit Cothenius, qui tunc universis ejus exercitus nosocomiis praeerat. Qui idem effecerat, ut *Baldingero* liceret Vitebergam concedere ibique medicinae doctorum scholis interesse. Ibi cum praeceptoribus suis omnibus carissimus esset, nemini tamen fuit carior, quam Trillero, qui ejus familiaritate usus, quo eundem summis necessitudinum caussis sibi adjungeret, filiam ei suam in matrimonium dare instituit. Quam tamen conditionem ille aspernatus, aliam quaesivit. Nam cum officii caussa Torgaviae ageret, vidit ibi egregiam virginem *Dorotheam Fridericam*, quae sorori, scholae Rectoris conjugi, e puerperio decubanti ministrabat. Cujus et pietatem Noster miratus est, qua eadem hanc curam agebat, et vero multo magis bona ingenii, quae diligenti cultu aucta eruditum quemque decerent. Quo factum est, ut sibi beatus videretur, si ipsam futurae vitae sociam haberet, quamquam rerum eidem fere nihil esset. Etenim orbata patre *Gutbierio*, Longosalissae ad aedem S. Bonifacii quondam ministro, ibidem tenuiter agebat cum matre vidua.

Illius tamen voti non prius factus compos est, quam bello finito, cum fortunarum suarum sedem Longosalissae collocasset. Ibi coeperat inde ab anno 1764 medicinam facere eo successu, ut ipsi biennio post publicae salubritatis cura in ea urbe agroque demandaretur. Ceterum sub idem tempus *Baldingerus* quasdam subiit fortunae vicissitudines. Namque mater, defuncto patre, iterum nupserat, sed infeliciter. Unde brevi moerore absumta cum ex lege heredem filium scripsisset, ille, judicio vitricum persequi coactus, diutius pendente lite, toto paene patrimonio privatus est. Quem dolorem idem facillime vicit, cum conjugii dulcedine, tum literarum, in quibus totus erat, praecipue

cum jam epistolarum officio junctus esset summis in arte sua duumviris, Zimmermanno nimirum et Hallero. Quorum etiam laudes publice postea nobilitavit. Hujus quidem, dicta oratione in academia Gottingensi.

Neque enim egregiam viri literarum scientiam delitescere in eo oppido fortuna voluit, sed aditum patefecit ad amplius publice promerendi theatrum, oblata medicinae in schola Jenensi tertia cathedra anno 1768. Quam provinciam *Baldingerus* suscepit scripta commentatione: *de Lectione Hippocratis medicis necessaria*, itemque disputatione pro loco: *de Professore medico.* Inde proximo anno, Kaltschmidio defuncto, in secundum locum evectus est. Cum ea cathedra conjuncta erat rei herbariae professio curaque horti botanici.

Ille vero utrique negotio abunde satisfecit et gnaviter docendo et edendo libello de ea re vernaculo, conscribendoque horti agrique Jenensis plantarum indice. Sub idem tempus ibidem in Societatis literarum elegantiorum consessu luculentam orationem in *Swietenii* illius obitum habuit. Neque reliquis muneris officiis defuit, gessitque cum laude academiae magistratum anno 1769.

Quinquennio ibi transacto, Zimmermannus aliique qui ei literarum caussa bene cupiebant, conjunctis studiis effecerunt, ut Gottingam arcesseretur a. 1773. Adeptus est eam cathedram e qua adolescentes ad artem factitandam instituuntur. Quas scholas publice indixit scripta commentatione *de saeculi hujus in medicina inventis.* Cum ea professione conjuncta fuit *Instituti clinici* cura, quam ille susceptam eodem anno cum laude gessit usque ad abitum.

Jam in hanc literarum civitatem admissus nihil non consecutus erat quod homini literarum amanti optabile videatur. Primum suppetebat bibliothecae academicae liberalissime institutae et auctae uberrimus apparatus, quo legendi quae summa in eo inerat cupiditatem exsatiaret. Tum ubi a legendo vellet recreari cum doctorum omnis generis hominum conveniendorum opportunitas, tum ordinis sui collegarum perpetua consuetudo, quorum singuli in suo quisque genere aut principes aut principibus proximi essent,

Nosocomii denique ea praestantia, quae argueret munificentiam regis, copiamque faceret cujusque generis aegrotorum. Tot tantisque studiorum praesidiis quomodo *Baldingerus* usus sit, loquuntur annales academici, testaturque discipulorum eruditissimorum egregia cohors. Ex hujus enim collegarumque scholis exiere plurimi, qui nunc per Germaniam et ipsi in eo genere principes habentur. Quorum qui nomina discere cupiat, adeat libellum eum, quo Noster rerum suarum eam partem attigit, quae sibi in castris academiisque evenerit. Ejus particula prima, quae sola lucem vidit, tota fere absolvitur carminibus, quae discipulorum gratum animum significant, ornaturque ad calcem catalogo eorum, qui ex Ipsius disciplina profecti e cathedra deinde medicinam docuerunt docentque.

Ceterum, ut vitae Gottingensis insigniora conficiam, nactus est Ille deinceps secundum ordinis medici locum vacuefactum Richteri obitu, itemque primum post mortem Vogelii. Prorectoris ornamenta habuit semel anno 1777. Cedens munere dixit illam, quam supra attigi, orationem in *Albertum Hallerum*, qui eo anno diem suam obierat.

Inclaruerat *Baldingeri* nomen praecipua quadam medendi felicitate. Quae res adduxit *Fridericum secundum Hassiae Landgravium*, ut ei valetudinis suae tutelam committeret, ita tamen, ut eundem Carolini Cassellani alumnis doctrina prodesse reique medicae per universam Hassiam praeesse juberet. Gottinga discedentem (a. 1782) discipuli omnibus officiis sunt prosecuti, ut qui etiam solemni pompa Cassellas deducerent. Neque minor in eundem apparuit Principis illius benevolentia, cui ille, quoad per fata licuit, utilissimam semper operam praestitit: morte deinde rebus mortalibus erepto pie parentavit.

Ceterum eo vitae gradu constitutus expertus est, si quis alius, utramque fortunam. Nam si officii rationem spectares, felicissimum diceres. Faciebat enim artem magno successu, commendatus summis infimis mira morbi cujusque perspiciendi celeritate depellendique facilitate plane divina, unde fiebat, ut ipsius domus celebraretur frequentissimo consulentium vel civium vel exterorum congressu. Disci-

pulorum insuper florebat, si minus eadem multitudine, qua Gottingae floruerat, at tamen praecipua nonnullorum doctrina universorumque summis in se studiis. At si ejusdem domesticam vitam cognoveris, miserebat hominis, meliore, si ipsius ingenium cogitares, fortuna dignissimi; ita ibi erant omnia plena sollicitudinis, quae antea plena tranquillitatis fuerant, plena laetitiarum. Quamquam principio et ab hac parte ad felicitatem nihil quidquam deesse videbatur. Namque (ut ea sola referam, quae fortunae sunt, ceterorum enim sua quemque conscientia vel coarguet vel absolvet) quam supra virginem ornatam omnibus decoribus diximus, ea marito juncta, optimarum artium amantissimo, tam studiose usa erat ipsius et sermonibus et librorum apparatu, ut ad elegantissimum cultum formata jam in ornatissimis haberetur patriae feminis, et Lichtenbergii etiam Kästnerique et aliorum summorum virorum amicitiam mereret. Beatissimus igitur *Baldingerus*, qui ejus conjugis consuetudine uteretur. Cujus ille amoris dulcissima pignora habuit quatuor filios et binas filias.

E quibus illi immatura morte largam parentibus obtulerunt lacrymarum materiam. Nam cum tres in pueritia fuissent exstincti:

Wilhelmus quidem *Ernestus* trimulus (natus 1771), reliqui anniculi: *Carolus Fridericus* (n. a. 1772) et *Carolus* (n. a. 1773), natu tamen maximus *Ernestus Fridericus* (n. a. 1767) tam laeta corporis pariter atque animi incrementa habuit, ut et matrem domestica calamitate afflictam erigere et paternam aliquando laudem tueri posse videretur. At graviori luctui reservata misera, donec et ipsa illuc abiret, ubi cuncta hujus vitae mala gaudiis aeternis compensantur. Etenim filius, qui unus supererat, cum Kästneri, ceterorum disciplina optime usus jam in eo esset, ut Jenam studiorum caussa proficisceretur, phthisi correptus in ipso flore occubuit a. 1784. Quem et ipsa mater, variis curis simul tentata, paullatim tabescens biennio post in morte secuta est*), relictis binis filiabus, ea jam tum aetate constitutis,

---

*) Ejus rerum insigniora libellus ab ipsa conscriptus exhibet, quem

ut illius obitus altissime ad animum descenderet. Quarum nata major: *Sophia Friderica Ernestina*, n. 1768, postea (1790) *Handelio* nupsit, medicinae nuper in hac schola professori, jamque eodem mortuo in viduitatis solitudine, civis nostra, vivit, digna sane honestiore et conjugio et sorte femina.

Altera, *Friderica Wilhelmina Amalia*, n. a. 1770, ornatissima matrona, matrimonio juncta (1788) *Bernhardo a Gehren*, Juridico, amanter cum eodem concorditerque, prole felix mater, prope Darmstadium rure agit.

Inducta deinde filiabus altera parens *Carola Lisetta Drebingia*, e Francogallico genere nata, quae etiamnum mariti morte ex animo moeret.

Illuxit postea novus huic academiae splendor, cum Hassorum imperio admotus *Wilhelmus* novis augeri eandem ornamentis vellet anno 1786. Adscriptus est tunc etiam *Baldingerus* huic literariae civitati cum aliis pluribus excellentibus doctrinae laude viris, et cum jam antea *aulici* Consiliarii titulo ornatus esset, haud ita multo *intimi* auctus est. Quod ille negotium auspicatus est verba faciens *de Hippocratico studio medico*, summi illius Jani Cornarii secutus exemplum, qui et ipse munus suum Marburgense adierat dicta oratione, quae sic inscribitur: *Hippocrates doctor verus*.

Atque in illo ornandae scholae nostrae consilio quaenam tunc quidem *Baldingeri* partes fuerint, paucis juvat explicare. Nam primum ut arti suae ea prospicerentur, quae ad ipsam cum fructu vel docendam vel exercendam necessaria essent, nihil operae pepercit. Itaque, quo corporis humani per anatomen cognoscendi opportunitas fieret, exstructum est amplissimum theatrum et conquisita cadavera. Rei herbariae provisum est spatiosissimo copiosissimoque horto medico. Etiam rerum naturalium quarumvis arte chemica excoquendarum copia facta et comparatum aedificium. Neque rei veterinariae defuit idoneus appara-

---

pio in eandem officio *Larochia* edidit hoc titulo: *Lebensbeschreibung von Sophia Baldinger, von ihr selbst verfasst. Offenbach* 1791.

tus aediumque, ubi cadavera secarentur, vasaque et instrumenta conderentur, opportunitas; ut jam omittam illud parturientium receptaculum, cujus praestantiam nuper explicui, cum Steinii vitam adumbrarem.

In quibus rebus vel instituendis vel augendis emendandisque *Baldingeri* praecipua cognita est et opera et prudentia, sublevata intelligentissimorum collegarum consiliis et beneficio *Principis* egregie ornata. Neque in ordine medico se continuerunt fausta rebus nostris optimi viri studia, sed latius evagata universam literarum civitatem complexa sunt, nihil enim quidquam earundem a se alienum volebat haberi. Itaque auctor fuit Serenissimo Academiae Rectori, ut huc arcesserentur in reliquis artibus praecipui viri, quo omnium rationibus fieret satis. Cumque nihil magis fugeret, quam acerbitatem in alios religionis coetus, ut qui mature didicisset religionem ipsam contineri non tam certis verborum formulis, quam vegeto pietatis in Deum sensu, quam recte faciendi consuetudine, moleste ferens quemquam sacrorum necessitate ab hac civitate arceri, a liberali facilique Principe facile impetravit, ut Romanam professionem secutis et sacellum pararetur, sacrorumque arcesseretur minister.

Longum est singula explicare, quae Ille, ut primum noster est factus, salubriter instituit. Neque minus ipse plurimis profuit docendo, praecipue si recte meditatus in cathedram ascendisset. Aetate provectior, cum labans subinde et caussarium corpus menti aegre morigeraretur, ille tamen neutiquam dicendus erat frustra rebus nostris interesse, quoniam tunc quoque nominis sui fama haud paucos alliciebat.

Jam enim me ad hujus vitae extrema delapsum video. Quae paucis absolventur. In corpore quidem fingendo natura Nostro non minus favere videbatur voluisse, quam in impertiendis ingenii dotibus, de quibus et supra monuimus et infra videbimus. Corporis erat justa proceritas et is habitus, qui animi egregiam indolem prae se ferret*), eae

*) Exstat ejus aeri incisa effigies, quae oris lineamenta satis fide-

denique vires, quae officii medici aerumnis et laboribus sufficerent. Ac credibile est, Eum si illius tuendi plus diligentiae adhibere, et quam aliis rationem vivendi praecipiebat, ipse sequi voluisset, in octogesimum amplius annum vitam protracturum fuisse. At ille imperiosus sibi fretusque firmitate corporis inque victu ultra quam par erat negligens, saepe in extremam infirmitatem lapsus est, unde cum naturae beneficio facile emersisset, rursus eadem repetebat. Quod nuper etiam cognitum est, quum ille, incaute usus valetudine, membrorum palpitatione convulsus morti proximus haberetur. Convolant collegae Michaelis et Buschius, viri artis medicae consultissimi, quibus tunc quidem caute adhibitis generosissimis remediis contigit servare hominem, qui ipse aliquando plurimos servaverat. Quibus Ille, ut erat in omni vita gratissimus, gratum beneficii sensum publice testatus est non sine lacrymis, cum haud ita multo post juveni nostrati doctoris ornamenta impertiret habita oratione *de summis quibusdam medicis, qui olim in hac schola docuerunt.*

Atque hoc supremum publice dixit, nam rursus eo revolutus, unde vix evaserat, cum iidem duumviri eodem studio omnem artem expromerent, tamen adeo viribus defecerat, ut remedio locus non relinqueretur. Itaque animam reddidit d. II. Januar. 1804, cum annos vixisset sexaginta et quinque. Cujus quae apud cives gratia fuerit, patefactum est cum aliis rebus, tum funus prosequentium celebritate.

Jam cum ab ejusmodi scripto ea soleant exspectari, quibus edoctus quisque imaginem defuncti sibi adumbrare valeat: in hoc quidem viro jure quodam meo hac opera supersedere mihi videar posse. Namque quidquid Ille in omni vita ageret, hoc ita noluit suos cives latere, ut vel eorum, quae cum animo cogitasset, unosquosque fere conscios faceret, adeoque, quod apud Plutarchum est, Julii

liter refert; quae eadem inserta est *Justii* nostri Annalibus Academiarum Germanicarum.

illius Drusi similis, velut in publico vivere velle videretur. Quocirca nemo fere erat, quin ejus viri quandam sibi animo ingenii formam fingeret morumque illius pro suo ipse sensu faceret judicium. Qua in re diversa sectantium studia cognita sunt. Etenim quem alii ut priscae fidei hominem in deliciis habebant: eundem abhorrebant alii ut incultum moribus ab hujusque aetatis urbanitate alienum. Cujus animum candidum nullaque simulatione tectum, nulla coloratum arte alii laudabant: ejus temeritatem nihil quidquam pectore condentis vituperabant alii. Illud vero inter omnes conveniebat, eum non in iis modo negligentiorem fuisse, quae hujus saeculi usus temere novaverit, sed ne ea quidem curasse, quae cultioris vitae elegantia suo sibi jure poscere videretur.

Verum quo securior Ille de eo fuit, quo famae consulitur, eo diligentius faciendum est, ut ne ejus viri gloriae optimis meritis partae quidquam umquam detrahatur. Et erant in eo haud mediocria sive naturae sive disciplinae bona. Naturae quidem, quod supra monuimus, beneficio mentem nactus est, quae variarum rerum cognitioni sufficeret, facileque in diversas partes agitaretur. Disciplinae, qua a teneris usus fuerat, debebat hoc, ut mature imbutus literarum usu, earum dulcedine usquequaque teneretur, neque tunc earundem gustum amitteret, cum in poculis unice genio suo videretur indulgere. Quae res eo quoque poterat intelligi, quod fere hilaritati temperabat, cum ipsum ii convenerant, quos vel literis intentos cognosceret vel literarum laude florentes. Quo magis despiciebat eos, qui contenti literarii muneris fructu literariam vitam nullam agerent. In quos si ea occurrebant, quae salse dici possent, non facile tenuit. Erat enim vehementer dicax, multaque ejus feruntur, quae ipse peracuta haud incommode jocans jecerat, quae referre non hujus loci est.

Si ipsam, qua Noster usus est, artium tractandarum rationem quaeras: tenenda primum est ingenii indoles, qua ille ductus facilius in universum literarum orbem evagabatur, quam in uno aliquo loco consistebat. Incitaverat forte hoc plurima complectendi studium puerilis et vita et insti-

tutio, per quam ille mature bibliothecarum opibus heluatus fuerat. Accedebat postea muneris ratio. Nam quicunque ad medicinam faciendam studia sua conferunt, ii plerumque coguntur *αὐτοσχεδιάζειν*, hoc est, quod caussa praesens poscit facere nulla usi meditatione. Qua in re cum ceterarum artium cultoribus multo melius agitur, qui quidquid tentaverint, in musei solitudine aediumque interiore secessu bene meditati otiose conficiunt: medicus foras protruditur aegrotique lectulo affixus et hujus adspectu et vel quaeritantium vel plorantium vocibus in diversa trahitur, vel etiamsi praeclare cum eo agatur, tamen plerumque cogitur suum extemplo judicium facere et lingua non minus quam calamo se praestare promtissimum.

Atqui quo paratior *Baldingeri* facultas, quo felicius ingenium, eo magis interpellabatur fatigabaturque ab iis, qui ejus in valetudine vel tuenda vel recuperanda opem expeterent. Unde facile intelligitur, cur ille adsueverit potationi; nam cui necesse est cuivis ad ministerium praesto esse, neque umquam fere non et mente et corpore promte uti, ei, ne concidat viribus, faciendum est, ut easdem crebrius efficaciusque reficiat. Quo semel insuefacta natura aegre deinde caret. Haec eadem caussa fuit, cur ille in omni opere studiorumque universa tractatione existeret *αὐτοσχεδιαστής*, ut non tam valeret lenta commentatione, quam extemporali facultate agendi, adeoque semper velut in procinctu esset, similis in eo, cui in omni vita simillimus haberi voluit, strenuo militi, cujus, quo propior armorum tumultus, eo alacrior animus, eo praesentius auxilium. Inde mirum non est, eum literis non tam profuisse conscribendis copiosorum librorum voluminibus, quam libellis, quas bonae frugis plenas celeriter confecerat. Atque cum ille per universum disciplinarum ambitum liberius vagaretur, consequens erat, ut in nonnullis magis ludere videretur, quam recte sapere. In quo tamen mirareris memoriae felicitatem et quandam liberalitatem ingenii, suum cuique literarum generi honorem tribuentis.

Qui liberalioris et indolis et institutionis fructus eo quoque cognitus est, quod humaniores literas cum arte sua

conjunctissimas esse et ipse credebat et aliis persuadebat; cumque graece latineque haud vulgariter doctus esset, quavis data occasione utriusque sermonis addiscendi et utilitatem et decus explicabat, juvenesque medicinae studia aemulantes ad fontes artis, Hippocratis, Galeni et optima quaeque Graecorum medicorum scripta revocabat. Cui rei optime insuper consuluit parando librorum, quo ars medica illustratur, amplissimo thesauro*). Quos libros Noster in lectionibus, prout cujusque loci explicandi explicitive ratio ferebat, discipulis proponebat, ut haberent unde, decurso academiae stadio, si vellent, suopte studio artis cognitionem plenius copiosiusque peterent. Quod quam fuerit ex eorum rationibus, qui supra vulgus sapere conarentur, monere non attinet. Illud vero minus probandum, quod si juvenem erectioris ingenii nosset, eum librorum promiscue conquisitorum copia obruebat.

Ceterum in arte sua assiduo usu illud consecutus erat, ut mira facultate polleret morborum e suis signis cognoscendorum. Eo magis abhorrebat senex ab eorum placitis, qui hodie rerum medicarum summam sola ratione contineri volunt, ut qui statueret, numquam fieri posse, ut res conficiatur subtiliter disputando, nisi simul assidue observando cognoveris morborum et caussas et decursus viresque medicamentorum in quorumque genere corporum atque morborum.

Gloriae si quando cupidior videbatur, tenendum est: et quot quantisque ille naturae bonis ornatus fuerit, quam acre judicium, quae memoriae vis, quam subactum multiplici doctrina ingenium, quamque feliciter idem hos naturae disciplinaeque fructus in aliorum usum contulerit, sive

---

*) Eam Bibliothecam descripsit Hirsching in libro qui inscribitur: Versuch einer Beschreibung sehenswürdiger Bibliotheken Teutschlands. Erlang. 1787. Vol. II. Part. I. Pag. 425 sqq. Insigniora Baldingerus ipse vel laudavit vel descripsit in dem medicinischen Journal itemque in dem neuen Magazin für Aerzte. Postea universae hujus Bibliothecae Catalogum conscripsit Jo. Guil. Conradi, vir doctissimus, nunc in Academia Gottingensi Professor Medicinae P. O. Ipsa nunc asservatur Darmstadii conjuncta cum Bibliotheca Principis.

artem scripto illustraret, sive explicaret docendo, sive faceret denique. Quo libentius ignoscemus homini, si forte magnificentius interdum de se ipse statueret. Quo illud pertinet, quod moleste ferebat, si quis peregrinantium eruditionis aliave laude excellens non continuo se convenisset. Nam quicunque eorum ipsum salutaverant, eorum nomina albo inscripta libenter proferebat, neque ei gratius quidquam faceres, quam si literarum commendationem ad quosvis vel proceres vel eruditos mittendarum ex eo peteres. Cupiebat enim quam plurimorum notitia florere.

At idem juvare quam plurimos cupiebat. Quod in reliqua vita apparuit et in arte docenda exercendaque. Praecipue ex quo Noster factus lautiore stipendio utebatur, plerumque gratuitam operam navabat et iis, qui ipsius scholis interessent, et qui ad ejus auxilium confugissent. Agendo enim, quod supra diximus, contineri volebat primariam partem religionis, cujus sensu adeo movebatur, ut nonnumquam sacrae coenae admoti gestus, vultus, lacrymae unicuique patefacerent rei sanctitatem Ipsius animo penitus repraesentari; deque vitae suae exitu cum alias tum nuper ita locutus est, ut cavisse videretur, ne parum paratus morte opprimeretur.

EN SCRIPTORUM EJUS CATALOGUM.

Diss. de effectibus salutaribus, qui fiunt in morbis. Jenae 1760. 4.
D. de methodo medendi morbis, quae adstruit: per morbos produci effectus salutares. ibid. 1761. 4.
Ueber die Gränzen der Naturlehre. Torgau 1762. 4.
De militum morbis, imprimis exercitus regis Borussiae. Viteberg. 1763. 4.
G. C. Hambergeri methodus medendi morbis; cum praefatione de praestantia theoriae Hambergeri prae ceteris. Jen. 1763. 8.
Introductio in notitiam scriptorum medicinae militaris. Berolini 1764. 8.
Phil. Ambrosius Marherr chemische Abhandlung von der Verwandtschaft der Körper; aus dem Lateinischen übersetzt. Leipzig 1764. 8.
Von den Krankheiten einer Armee aus eignen Wahrnehmungen. Langensalze 1765. 8. 2te verbesserte Auflage 1774. 8.
Arzeneien, eine physicalischmedicinische Monatsschrift. 2 Bände. ebend. 1766. 8.
Tissot von Marktschreiern. ebend. 1766. 8.
Car. a Linné clavis medicinae duplex, exterior et interior, cum praefatione. ibid. 1767. 8.
Neue Arzeneien. 2 Bände. ebend. 1767. 8. Cujus libri tertia editio exstat.
Ehrengedächtniss des Prof. Mangolds zu Erfurt. Jena 1767. 4.
Tissot und Rosensteins Abhandlungen von der Natur und Cur der Kinderblattern, mit einer Vorrede von den herrschenden Vorurtheilen bei der Blattercur. Langensalze 1767. 8.
Tissot über die Einimpfung der Blattern, mit einer Vorrede von den Vortheilen, welche die Staaten von der Aufnahme der Arzneiwissenschaft erwarten können. ebend. 1768. 8.
Uterque liber inscio Baldingero typis repetitus est Lipsiae 1778.
Pr. de lectione Hippocratis, medicis summe necessaria. Jen. 1768. 4.
Jo. Moultrie D. de febre maligna biliosa Americae, anglice the yellow fever. Edidit et praefatus est. ibid. 1768. 4.
Biographieen jetztlebender Aerzte und Naturforscher. 1. B. ebend. 1768. 8.
Catalogus dissertationum, quae medicamentorum historiam, fata et vires exponunt. Altenb. 1768. 4.
Quem librum iterum edidit C. D. Nebel Marburgi 1791. 8.
De professore medico, ejusque officiis praecipuis Commentatio subitanea. Jen. 1768. 4.
Pr. de camphorae connubiis. ibid. 1769.
Tissoti opuscula medica Tom. I. collegit et edidit. Cellis 1769. 8. Tom. II. Jen. 1770. 8.
Auszüge aus den neuesten Dissertationen über die Naturlehre, Arzneiwissenschaft und alle Theile derselben. I. B. 6 Stücke. Berlin und Strals. 1768. 1773. 8.
Ioh. Friedr. Cassebohms methodus secandi. Neue verbesserte Ausgabe. Berlin 1769. 8.
Ueber das Studium der Botanik und Erlernung derselben. ebend. 1770. 8.
Pr. III. de Jano Cornario. Jenae 1770. 4.
Quae cum reliquis Nostri commentationibus in academia Jenensi

conscriptis repetita est typis in Gruneri Delectu dissertationum Jenens.

P. S. Pallas Naturgeschichte merkwürdiger Thiere — aus dem Latein. 3 Samml. Berlin u. Strals. 1770—1771. 4.

Progr. de sede pleuritidis controversia. ibid. 1771. 4.

Thomae Glass Commentarii duodecim de febribus, ad Hippocratis disciplinam accommodati. Ed. nov. Jenae et Lips. 1771. 8.

Herm. Boerhave rariorum morborum historiae prior et altera. Francof. et Lips. 1771. 8.

Progr. in Aretaei L. II. Cap. VIII. de venae cavae acuto morbo commentariolus. Jenae 1771. 4.

Pr. secale cornutum perperam a nonnullis ab infamia liberari. ibid. eod. 4.

Henr. Cope Demonstratio medico-practica Prognosticorum Hippocratis ea conferendo cum aegrotorum historiis in libro I. et II. Epidemiorum descriptis denuo edidit. ibid. eod. 8.

Pr. de Frider. Hoffmanni et Herm. Boerhavii meritis in medicinam practicam. ibid. eod. 4.

Pr. Exanthemata non a vermibus oriri. ibid. eod. 4.

Lobrede auf den Freiherrn van Swieten. ibid. eod. 4.

Meckels Beschreibung der Krankheit des Hrn. Leibarztes Zimmermann und der dabei angewandten Operationen; aus dem Latein. Berlin 1772. 8.

Pr. Observationes de morbis ex metastasi lactis in puerperis. Jen. 1772. 4.

Biographieen jetztlebender Aerzte und Naturforscher in und ausser Teutschland. 1.—4. Stück. Jena 1768—1772. 8.

Index plantarum horti et agri Jenensis. ibid. 1773. 8.

Pr. de iis, quae hoc saeculo inventa in arte medica. Goetting. 1773. 4.

Fr. Börners Nachrichten von jetztlebenden Aerzten und Naturforschern, ergänzt von Baldinger. Braunschw. 1773. 8.

Pr. de optima medicamentorum mixtione. Goetting. 1775. 4.

Pr. quo illustrat malignitatem in morbis ex mente Hippocratis per recentiorum irritabilitatem et sensibilitatem. ibid. eod. 4.

Pr. Vestigia irritabilitatis Hallerianae in veterum monumentis, exemplo calidi innati. ibid. eod. 4.

Vindicia irritabilitatis Hallerianae. ibid. eod. 4.

Magazin für Aerzte. 1.—12. Stück. Cleve et deinde Leipzig. 1775—1778. gr. 8.

Neues Magazin für Aerzte. 20 Bände. Leipzig 1779—1799. gr. 8.

Pharmacopoea collegii regii medicorum Edinburgensis, additamentis aucta. Bremae 1776. 8. Editio nova ibid. 1784. 8.

Sylloge selectiorum opusculorum argumenti medico-practici. Vol. I. Gotting. 1776. Vol. II. ibid. 1777. Vol. III. ibid. 1778. Vol. IV. 1779. Vol. V. 1780. Vol. VI. 1782. 8. maj.

Pr. epitome Neurologiae phys. pathol. ibid. 1778. 4.

Pr. de magnetis fatis et viribus ad morbos sanandos. ibid. eod. 4.

Pr. Alexiteria et Alexipharmaca contra diabolum. ibid. eod. 4.

Pr. de oculorum morbis sine ophthalmicis sanandis. ibid. eod. 4.

Pr. de abusu sanguinis missionis in variis morbis. ibid. eod. 4.

Pr. Gonorrhoeae virus ab amore meretricio defensum. ibid. eod. 4.

Oratio in obitum Alberti de Haller. ibid. eod. 4.

Johann Clemens Tode, Buchkunstrichter in Kiobenhaven; eine literärisch-medicinische Abhandlung, mit psychologischen Anmerkungen, theoretisch und praktisch erläutert; männiglich zum Unterricht. ebend. 1778. 8.

Pr. IV. Historia mercurii et mercurialium medica. ibid. 1780 et 1781. 4.

Editia nova, libellus I—III. ibid. 1783—1785. 8. In qua etiam legitur ea disputatio, quam B. de eodem argumento edidit Casselliis.

G. G. Richteri Querelarum de tempore Epistolae sex; accedit Jubilum de Pace. Gotting. 1782. 4.

Selecta doctorum virorum opuscula, in quibus Hippocrates explicatur, denuo edita. ibid. eod. 8. maj.

Ueber Medicinalverfassung, eine Rede am Geburtsfest des Hrn. Landgrafen von Hessen-Cassel. Offenb. 1782. 8.

Nachricht vom medicinischen Leseinstitute zu Göttingen, nebst einem Vorberichte vom Studiren. Götting. 1782. 8.

Medicinisches Journal. 36 Stücke oder 9 Bände. Göttingen 1784—1796. gr. 8.

Pr. Historia mercurii et mercurialium medica continuata. Cassel. 1785. 4.

Pr. über das Wunderbare in der Medicin. ebend. 1785. 4.

Trauerrede auf das Absterben des Herrn Landgrafen Friedrichs II. Cassel 1785. 4.

Typis repetita 1803.

Vorrede zu John's Lexikon der k. k. Medicinalgesetze. (Prag 1790. 8.)

Russisch-medicinisch-physische Literatur. 1. Stück. Marburg 1792. 8.

Medicinisches Leseinstitut zu Marburg, zum Vortheile für Studirende gestiftet und angekündigt. Marburg 1792. 8.

Literatura universa Materiae medicae, alimentariae, Toxicologiae, Pharmaciae et Therapiae generalis medicae atque chirurgicae, potissimum academica. ibid. 1793. (1792.) 8.

Bruchstücke seines Campagne- und Universitätslebens. 1. Stück. Gedichte, so ihm bei verschiedenen Gelegenheiten gewidmet wurden, mit Erläuterungen. Marburg 1792. 8.

G. Baglivi de praxi medica libri duo, in usum discentium et eorum, qui faciunt medicinam. ibid. 1793. 8. maj.

Thomas Platers Leben, wegen seiner Merkwürdigkeit neu herausgegeben. ebend. 1793. 8.

Leben des Apothekers Meier in Osnabrück; in Wieglebs chemischen Abhandlungen.

Erklärung über Bickers Bericht von seinen magnetischen Kuren; in der Berliner Monatsschr. 1787. St. 5. S. 478.

Gedicht an Steins Geburtstage. Marburg 1794. gr. 4.

Ueber Literärgeschichte der theoretisch-praktischen Botanik. ebend. 1794. 8.

Ueber Lehranstalten der ganzen Welt. 1. u. 2. Stück. Wien. 8. Marb. 1796.

Ueber Universitätswesen und Unwesen, literärisch und statistisch betrachtet. Herrn Hofrath Heyne in Göttingen gewidmet. Marburg 1797. 8.

Neues physisch-medicinisches Journal. 1. Bandes 1.—4. Stück. ebend. 1797—1799. 2. Bandes 1.—4. St. ebend. 1799—1800. 3. Bandes 1.—4. St. ebend. gr. 8.

Ueber Pharmacopoea castrensis und Terra ponderosa salita. Marburg 1800. 8.

Ueber Schiesspulver der Artilleristen und Brechpulver der Aerzte. Marburg und Leipz. 1800. 8.

Beschreibung des Dinkholder Mineralwassers. ebend. 1801. gr. 8. ½ Bogen.

Multa quoque *Baldingeri* leguntur in Actis literariis *Jenensibus*, *Gottingensibus*, *Erfordiensibus*, *Halensibusque*, in *annalibus theologiae Rintelensibus* itemque in *Bibliotheca literaria*, quae *Lemgoviae* prodiit, et in *Bibliotheca* Marburgensi, qua *rei militaris scientia* illustratur.

Haud paucas denique Commentationes academicas, quae Argentorati, Gottingae, Halae, Jenae publicae disceptationis periculum subiere, Ipse conscripsit; neque minus in aliis scribendis Ejus potiores partes fuerunt*).

---

*) Cf. nunc de Baldingero ejusque rebus ac scriptis quae Christ. Saxius 1803 adumbravit in Onomastico Literario Part. VIII. p. 210 sq., quae tamen ex hac Memoria insigniter augeri possunt; quam tamen ipsam postea auxit vir mihi amicissimus Car. Guilielmus Justi, Professor Marburgensis, in Supplementis vernaculis ad Striederi Hessische Gelehrten- und Schriftsteller-Geschichte Tom. XVIII. p. 1—21.

PARS TERTIA,

CONTINENS

EPISTOLAS ET PUBLICAS ET PRIVATAS EPISTOLARUMQUE EXCERPTA, SCRIPTA DENIQUE HONORARIA VARII GENERIS.

I.*)

FRIDERICI SYLBURGI

EPISTOLAE QUINQUE

AD

PAULUM MELISSUM.

NUNC PRIMUM

EDIDIT

FRIDERICUS CREUZER.

FRANCOFURTI AD MOENUM

MDCCCXXVII.

INCLYTAE

ACADEMIAE MARBURGENSI

SACRA SAECULARIA

DIEBUS XXVIII. ET XXIX. M. JULII ANN. MDCCCXXVII.

RITE PIEQUE

TERTIUM FACIENTI

SALUTEM PRECATUR

FRIDERICUS CREUZER MARBURGENSIS.

INCLYTAE

ACADEMIAE MARBURGENSIS

PROFESSORIBUS DOCTORIBUS

ILLUSTRIBUS CLARISSIMIS ERUDITISSIMIS CIVIBUS

HUMANISSIMIS

S. P. D.

FRIDERICUS CREUZER.

Meditanti mihi, quomodo ad societatem laetitiae accederem, qua academiae patriae saecularia jam tertia celebratis, atque cum pium in eam animum tum meam in Vos-

*) Confer Vitam meam vernacule delineatam p. 86.

met voluntatem declararem, et nunc cum maxime aliis praesertim occupationibus districto nihil magnopere succurrebat, quod a me ipso exhiberi posset dignum vel laudibus illius vel meritis studiisque Vestris vel meae ipsius sententiae satis accommodatum. Quo tamen qualicunque certe symbola testatum facerem homo Marburgensis, non torpere me ad civium meorum gaudia, excussi schedulas in pluteis meis latitantes. Ac commodum incidi in epistolas aliquot ineditas, quas ante hoc decennium amplius forte nactus eram. Nam ejusmodi mihi videbantur, quae hac data occasione haud inepte Marburgum mitterentur Heidelberga.

Primum enim sunt Friderici Sylburgii, quem in agro Marburgensi natum Philippi Magnanimi, qui Vestram Academiam condidit, filius Ludovicus, Serenissimus Hassiae Princeps, volentibus Patribus Academiae, ex hujus opibus salario annuo liberalissime auxit et honoravit[1]). Sunt scriptae a cive Vestro eodem-

1) Melchior Adamius in Vitis Germanorum Philosophorum Heidelbergae 1615 p. 415: „Ad talem autem bonis auctoribus emendandis illustrandisque navandam operam annuum ei (Sylburgio) stipendium a celebri Cattorum, quae Marpurgi floret, academia est constitutum, de Principum Hassiae clementissima sententia. Exemplum profecto ut omni laude memoriaque aeterna dignum, ita omnibus, praesertim magnatibus imitandum.“ Cf. Koenig ap. Pope-Blount in Censura celebriorum auctorum p. 813 sq. Joann. Georg. Jungii Vitam Friderici Sylburgii Berleburgi et Francofurti 1745. p. 17. Carol. Guil. Justii Hessische Denkwürdigkeiten. IV. 2. p. 462 sqq. Ejusdem viri Clarissimi Narrationem de Sylburgii rebus in: F. G. Striederi Grundlage zu einer Hessischen Gelehrten- und Schriftsteller-Geschichte. Vol. XVIII. p. 484. Schoell in Biographie universelle ancienne et moderne. Tome XLIV. Paris 1826. pag. 301. denique meam qualemcunque orationem de Friderici Sylburgii Vita et Scriptis dictam in Augustissimi Electoris Hassiae natalitiis Marburgi 1803 (in H. C. A. Eichstaedt Novis Actis Societatis Latinae Jenensis. Volumine primo Lips. 1806. p. 89.). Quod in rebus Sylburgii et aliorum Clarmundum (i. e. Rüdigerum, vid. Jo. Alb. Fabricii Bibliographia Antiquaria p. 92.) auctorem laudant nonnulli: non est in plerisque vitis ea ejus libri auctoritas, cui certo confidere possis. Inscribitur is liber: Vitae clarissimorum in re literaria virorum, d. i. Lebensbeschreibung etlicher hauptgelehrten Männer, so von der Literatur Profess gemacht haben. Edit. tert. Wittenberg. 1708. p. 71—78.

que nostro ad nostrum Paulum Melissum. Aguntur res literariae, quibus promovendis institutae sunt academiae. Literator Vestras opes expetit, opes dilaudat nostratis bibliothecarii, cui ille paullo post adjunctus collega idemque conjunctus amicus aliis literatoribus ope sua mirum quantum profuit. Profuit autem uterque expromendis opibus bibliothecae nostrae, quam, quo anno, Guilielmo Secundo Augustissimo Hassiae Electore moderante, tertia saecularia gratantes agitis, eodem anno, Ludovico Augustissimo Badarum Magno Duce procurante, copiosissime locupletatam videmus. Fausta Principum Rectorumque auspicia utrobique! Egregium utrobique luculentumque laetandi gratandique argumentum!

Ac si humanitatis est, ut quisque maxime laetatur, ita eundem gaudii sui sensum lubentissime in alios transfundere: prae ceteris academias cultioris humanitatis parentes altricesque decet, quidquid ubivis faustum ad humanitatis sensum alendum ingeniorumque cultum augendum contigerit, quoad ejus fieri potest, officiosissime inter se communicare.

Cujus rei luculentum exemplum praestant hae ipsae epistolae veluti domesticae testes humanitatis praeclarorum duumvirorum Sylburgii et Melissi. Quas priusquam in medium proferam, hujus de rebus ac scriptis nonnihil praemonendum videtur: de illius aliquid addendum iis, quae multa ab aliis memorata sunt.

Paulus igitur Schedius*), qui a matre vocari[2]) ma-

---

*) De Paulo Melisso nuper admodum egit etiam Dehèque in Biographie Universelle Tome LXXIII. Supplem. p. 418—420., qui hoc meo opusculo usus est. Cf. etiam: Vita Pauli Melissi Schedii scripta a Possidio Zitter, ed. a Jos. Gütenaecker. Wirceburgi 1834.

2) μητρόθεν καλεῖσθαι more nec apud veteres ignoto, cum vel universi populi ita solerent vel singuli homines variis de causis, de quibus vide Herodot. I. 173. cum Valckenaerii annot. Nicol. Damascen. ap. Stob. p. 510. Vales. Cf. illius Fragg. p. 148. ed. Orell. Diodor. Sicul. V. 81. Wyttenbach. ad Plutarch. de virtutibus mulierum p. 9 sq. ed. Oxon. 8vo, et Letronne in Journal des Savans ann. 1820.

luit Melissus, natus 1539 Melrichstati in Franconia orientali patre Balthasare Schedio matre Ottilia Melissa, jam iis annis, quo rudimentis literarum unice operam dant pueruli, poësin, musicam picturamque attingebat. Carminibus autem in omni vita potissimum inclaruit. Nam posteaquam tirociniis positis plures Germaniae academias studiosus literarum adierat, anno 1564 Vindobonae a Ferdinando Romanorum Imperatore dictus est poëta laureatus et inter nobiles relatus. Longum est hujus viri res sigillatim persequi. Etenim si quis umquam, idem unus homo humanae vitae vicissitudines incredibilem in modum in se expertus est; ut qui nunc penitus delitesceret in umbra scholarum et circa bibliothecarum forulos trepidaret, veluti Romae in Vaticana, nec praeterea aliud sectari videretur, quam circulos hominum eruditorum, e quibus principes in familiaribus habuit, nunc in luce aulae conspicuus esset, Comitis quoque Palatini honoribus auctus, nunc aulae pertaesus militatum abiret (et stipendia meruit in Hungaria inque Gallia pluribus ducibus, bis etiam captus in itinere), nunc peregrinaretur varias Europae per terras, et privatim discendi caussa et publice orator Principis Friderici Tertii, Electoris Palatini. Tandem varie conflictatus cum utraque fortuna mirificeque, uti apud poëtam est, et terris jactatus et alto, anno 1586 Heidelbergam nostram velut in portum

---

p. 649 sq. Schedius autem saeculi sui morem secutus maternum nomen ut graecum ac magis poëticum paterno praetulisse videtur. Unde etiam oppidum, in quo in lucem editus erat, Alphipolin dicere solebat. Ceterum, recte observante Bruckero in Ehrentempel der Deutschen Gelehrsamkeit IV. p. 148., illo nomine hoc magis delectari poterat, quo celebratiores in antiquitate Melissi, in his libertus Maecenatis (non Augusti, ut falso scripsit Brucker), de quo poëta et bibliothecario Ovidius Ex Pont. Lib. IV. Ep. 16. vs. 30.

„Et tua cum socco Musa, Melisse, levis,"

ubi de pluribus Melissis vid. Nicol. Heinsius et Graevius. Cf. etiam F. A. Wolf ad Sueton. Grammatt. III. et XXI. p. 7. et p. 21. Libertis autem praecipue ejusmodi nomina poëtica indere solitos esse Romanos nuper exposui in Commentatione Gallice versa ab Edgardo Quinet V. Cl. hoc titulo: Prolégomènes sur l'ésclavage chez les Romains.

se recepit; ubi ei, qui tot bibliothecas excusserat, bibliothecae Palatinae cura committitur. Cui quomodo praefuerit, arguunt epistolae Sylburgii, quas nunc primum evulgamus, arguit etiam comitas, quam in illo viro infuisse accepimus. Nam qui ejus res prodiderunt aequales, testantur, cum venerabili decore proceri corporis in eo conjunctam fuisse sanctitatem vitae morumque gravitatem, sed nec minus eorundem facilitatem cum haud injucunda cultus elegantia[3]). Scientiam quod attinet, in literatoribus saeculi decimi sexti eximium locum obtinuit, in hoc prae ceteris insignis, quod plurimis cultioris Europae linguis commode utebatur. Neque Latinam solum poësin attigit, sed Germanicam quoque, et in utraque tractanda principibus aetatis illius Musarum famulis adscriptus[4]), Pindari etiam Germanici nomen invenit.

---

3) Quocirca parum credibile, quod in eum virum vel jecit vel jecisse fingitur Josephus Scaliger in Scaligeranis secundis p. 262: „Melissus, qui étoit Bibliothécaire de la Bibliothèque Palatine, n'y laissoit entrer personne.“ Nemo nescit, quot falsa de hominibus doctis prodita sint in istis Scaligeranis; illa vero de Melisso qui conciliare queat cum iis, quae narravit aequalis Melissi vel certe suppar Melchior Adamius in vitis Philosophorum p. 446 sqq., is, opinor, jungere etiam possit quadrata rotundis; et hae ipsae Sylburgii epistolae fidem derogant hujuscemodi calumniis. Est autem classicus locus de Melisso hic ipse, quem laudavi, vitarum Adamii. Qui reliqui de eo egerunt, eos enumerat Christoph. Saxius in Onomastico literario Vol. III. p. 570 sq. Quibus adde Jacob. Brucker Ehrentempel der Deutschen Gelehrsamkeit p. 148—150., ubi etiam, sicut in Boissardi tabula Nr. 78., ejus icon exhibetur. Grundling Hist. der Gelahrt. Vol. II. p. 2759 sq. et passim. Mortuus autem Melissus Heidelbergae d. tert. m. Febr. ann. 1602. In Bibliotheca successorem habuit *Janum* illum *Gruterum*, qui postea quam eam direptam viderat luxeratque anno 1622, diem suum obiit anno 1627. Cf. Frid. Wilken Geschichte der Bildung, Beraubung und Vernichtung der alten Heidelbergischen Büchersammlungen, Heidelberg 1817. p. 185.

4) Carminum suorum partem Melissus ediderat Francofurt. anno 1574. Vide Bruckerum p. 149 sq. Saxium l. l. Conferatur Jo. Henr. Andreae Riesmannus Redivivus. Heidelbergae 1787. 1788. p. 149. et p. 153. Idem in Crucenaci Palatini Part. V. p. 307. Odam Alcaicam, pagina autem 317 sq. ejus carmen in Pareorum insignia exhibet addens: „Melissi Schediasmata poëtica multo auctiora secundo edita

De Friderico Sylburgio pauca me addituram significavi. Cujus rei protinus occasio offertur mentione libri, a nemine eorum quotquot adhuc de eo viro dixerunt memorati, et tamen Sylburgiani sed postumi. Est interpretatio graeca Catechismi Heidelbergensis. Ita autem inscribitur: „*Κατήχησις τῆς χριστιανικῆς πίστεως, καθάπερ αὐτὴ ἐν ταῖς τῆς Παλατίνης Ἀρχαιρεσίας Ἐκκλησίαις τε καὶ σχολαῖς παραδίδοται. Παρὰ τοῦ Φρεδερίκου Συλκουργίου τοῦ Βεττερανοῦ εἰς τὴν τῶν Ἑλλήνων φωνὴν μεταφρασθεῖσα.* Catechesis Religionis Christianae Quae in Ecclesiis et Scholis Electoralis Palatinatus traditur. A Friderico Sylburgio Wetterano Graece conversa. Amstelodami, Excudebat Henricus Laurenti. 1623“ forma duodecima quae dicitur majore. Graecis in opposita pagina addita est Latina interpretatio. Catechesis ipsa finitur in paginis 175 et 176. Sequuntur Dicta Scripturae Sacrae, Formulae, Precationes, Veteris Synaxeos Descriptio ex Justino Martyre item graece et latine singula. Extremae paginae universi libelli sunt 187 et 188. In adversa pagina leguntur haec: „Lugduni Batavorum, Typis Joannis Cornelii Wourdani 1623.“ Hujus igitur editionis mentio

---

sunt tribus partibus. Lutetiae Paris. anno 1586; ejusdem meletemata prodierunt an. 1595. Optandum, ut ejus carmina, postmodum concinnata, colligerentur typisque ederentur.“ Hinc suppleri potest latinorum carminum notitia apud Saxium l. l. et ap. Joecherum in allgemein. Gelehrten-Lexicon Part. IV. p. 230. Hic tamen novam Meletematum editionem memorat Halae 1625. 8vo. Plurima Melissi poëmata leguntur in Tomo quarto Delicc. poëtt. German. p. 249 sqq. Nec defuerunt Melisso vituperatores, qui ejus Odas aliquanto acrius notarent. Vid. Morhofii Polyhist. I. 7. 3. 10. p. 1068. ed. quart. De vernaculis carminibus Ebert in Allgem. bibliographischem Lexicon II. 1. p. 92. ita: „Melissus P. Di Psalmen Davids in Teutische Gesangreymen, nach Französischen melodeien unt sylbenart, mit sonderlichem fleise gebracht von Melisso. Heidelb. Mch. Schirat, 1572. 8. 176 Bll. „In diesem höchst seltenen Buche suchte Melissus eine neue Orthographie einzuführen. Es ist wahrscheinlich einerley mit seinen deutschen geistl. Gedichten von 1572, welche Bouterwek X. 49. nur durch ein Gerücht zu kennen scheint.“ Wachler in Handbuch der Geschichte der Literatur III. p. 279. ed. sec. weltliche Gedichte bey Opitz, gedruckt Strasburg 1624. 4to.“

adjicienda est Jungii Vitae Fr. Sylburgii p. 37. numero 19., ubi Ecclesiarum Belgicarum Confessio graeco-latina interprete Revio et Catechesis Fr. Sylburgio interprete memoratur. Neque vero haec notitia tanti erat, quae a me hoc loco reponeretur, nisi libellus epistolam haberet in limine, in qua nonnulla insunt, quae ad Sylburgii res illustrandas nonnihil faciant. Proinde ejus insigniora adscribam, et annotationis aliquid subjiciam. Inscribitur his verbis: „Illustrissimo Potentissimoque Principi Friderico IV. Comiti Palatino Rheni reliqq. Domino Suo Clementissimo." Finitur ita: „Perscript. Heidelbergae, Calend. Septemb. 1597. Celsitud. Tuae Subjectissimus et Obsequentissimus Joannes Fridericus Gernandus Wetteranus J. U. D." Incipit a narratione consilii F. Sylburgii, qui quo minus hanc interpretationem ipse procuraret morte impeditus sit; unde post clarissimorum Theologorum, quorum nomina memorantur, examen et suffragium edendi negotium ad se ipsum Gernandum redierit. Pergit editor: „Tibi vero, Illustrissime Clementissimeque Princeps, pium hoc multisque nominibus Celsitudini Tuae debitum opus offerendum censui, quod autorem hoc voluisse inter alia ipsius documenta deprehenderim, memorem procul dubio summorum beneficiorum, quae et antehac sub (jucundissimae recordationis) Principe, Avo laudatissimo, Friderico III. illustris Scholae Neohusianae praeceptorem agens[5]), atque etiam postmodum

---

5) Unde Licham in Veteravia concessit Sylburgius, ubi ludorum in usum Clenardi Institutiones in graecam linguam emendatius edidit. Vid. Jungii Vit. Sylb. p. 14 sq. cf. Justi ap. Strieder. in libro supra annot. 1. laudato p. 484. Quod Schoellius in Biographie universelle l. l. Licham prius commemorat, quam Neohusium, argumento est, secutum eum esse Adamium, neque vero Jungii vita Sylburgii uti potuisse. De Collegio Neohusiano laudatur Sebaldi Fabricii dissertatio: De Vangionum Neohusio. Nimirum Fridericus tertius Comes Palatinus idemque Elector Neohusii (Neuhaus) prope Wormatiam anno 1565 Collegium a Canonicis, qui antea habitaverant, desertum, in Gymnasium commutaverat. Vide Jo. Henr. Andreae Riesmannus redivivus p. 115 sq., qui plura de hoc ludo literario scriptorum fide prodidit.

sub Celsitudine Tua in Typographia Electorali[6]) praeclaros labores summo bonorum testimonio exantlando percepit; cui academicae Bibliothecae[7]) cura ibidem jam com-

6) Tenenda est haec typographiae Electoralis appellatio. Nimirum jam ante Fridericum III. Otto Henricus typographis et bibliopolis, qui Heidelbergae et operis et commercio rei literariae inservirent, annuum salarium erogaverat, in quibus Hieronymus Commelinus fuit. Vid. Lud. Christiani Miegii Praefat. ad Monumenta Pietatis et Literr. p. 3. Fladii Diatrib. de typographis Heidelbergensibus. Carol. Casim. Wund in Programmate de celeberrima quondam Bibliotheca Heidelberg. p. 18. not. 28. et Andreae in Riesmanno rediv. p. 100. Non negaverim, privatam fuisse societatem Sylburgium inter atque Commelinum, ac consimilem ei, quam antea inierat Francofurti ad Moenum cum Wechelio typographo hujusque heredibus, sed publica quodammodo, certe Electoris, typographia dicenda erat Commelianá Heidelbergae. In hac urbe nostra rerum suarum domicilium locavit Sylburgius anno 1591.

7) Quod h. l. et in Actis academiae nostrae Academicae bibliothecae praefectus dicitur Sylburgius, Jungio autem p. 27 sq. Archi-Palatinae, a Villoisone in Anecdott. grr. II. p. 315. Electoralis bibliothecae codices graecos descripsisse, tenendum est, tres fuisse antiquitus Heidelbergae academicas bibliothecas, quarum una coenobii (Stiftsbibliothek) in aede Spiritus Sancti, in hanc autem, quam extremo loco dixi, inlatam Ottone Henrico Principe Electoralem, antea in arce asservari solitam (Wilken p. 25. 58. 108 sq.). Unde efficitur, Melisso, qui inde ab anno 1586 Palatinam bibliothecam curasse dicitur (vid. supra not. 3.), aliquot per annos collegam in eo munere adjunctum fuisse Sylburgium. Qui Professorem dictitant Sylburgium, minus accurate loquuntur. Nam mortuo Pithopoeo cum Philosophorum ordo „die 9. Febr. 1596 Senatui amplissimo nominaret duos viros eruditione et virtute praeclaros D. Aemilium Portum et D. Fridericum Sylburgium:“ creatus est Portus primum Rhetorices Professor; quam cathedram hic cum Stenio commutavit, ita ut linguam Graecam sibi ipse retineret docendam (Acta facultat. Artium ap. Wilken. p. 84 sq.). Loquitur etiam titulus sepulcralis ad orientalem parietem aedis S. Petri extra adpositus. Habet autem ita: „V. Cl. L. Friderico Sylburgio, Wetterano Hasso, Graecae Linguae instauratori accuratissimo, philosophorum aeque ac historicorum Anagnostae diligentissimo, nimiis tandem laboribus consumpto, et die Febr. Vet. XVI. A. C. MDXCVI. aetatis LX. e vivis Haidelbergae erepto, monumentum hoc memoriae et honoris ergo fieri fecit Heres.“ Igitur anagnostes dicitur, non professor. Atque huc referenda sunt

missa, quique ad majora adhibendus erat, ni praemature e vivis decessisset."

Tum, paucis interpositis, ita pergit: — „Accedit et hoc, quia, cum ex Sylburgiana Bibliotheca, quae penes me est, prodire opus hoc catecheticum, publicum maxime ob bonum vellem, optimam mihi occasionem oblatam videbam, publicum etiam gratitudinis meae erga Celsitudinem Tuam testimonium exhibere: quippe cui propter stipendium ante aliquot annos in me clementissime collatum, liberalissime etiam, quamdiu in aliis Germaniae Galliaeque vicinioribus academiis mihi versari licuit, adauctum, totum me studiaque mea debere grato animo agnoscerem." Itaque heres eandem apud eundem Principem munificentiam meruit, quam meruerat testator. Bibliotheca autem Sylburgii privata quid factum sit, me legere non memini. Crediderim tamen publicae nostrae adjunctam sumptu Principum eodem atque illam fato postea disperiisse. Publicae autem non graecorum modo codicum catalogum conscripsit Sylburgius, quem hodie quoque habemus, verum etiam Latinorum partim scripto consignasse fertur[8]). Epistolae ejus, quas haud

---

illa, quae heres scripsit ad Fridericum IV.: „quique ad majora adhibendus erat, ni praemature discessisset." Item in Actis Facult. Artt. l. l. continuo haec subjiciuntur: „Die 17. Febr. D. Fridericus Sylburgius, Academiae bibliothecarius, febri ardente et pestilentiali fuit extinctus: ejus funus sequenti die ad sepulturam extulimus." Duplicem differentiam et in die mortis et in hujus caussis a Wilkenio aliisque (vid. tamen Justi l. l. p. 488., qui quae ibi posuit Actorum nostrorum fide firmare poterat) silentio praetermissam, nullo negotio tolli posse, non est quod operose demonstrem. Qui autem memoriam illam faciundam curavit heres, continuo intelligetur ex iis, quae Fridericus Gernandus de se ipse narrare pergit. Qui, quod in heredum elogiis rarissimum est, nihil laudum adscribi jussit in illo titulo, quod non a summis viris Jos. Scaligero, Is. Casaubono, Hemsterhusio, Valckenario, Ruhnkenio, aliis postea et confirmatum et vero majorem in modum auctum fuerit. Testimonia posui in oratione supra not. 1. citata p. 90. 94 sq.

8) Lud. Christ. Miegius in Praefat. ad Monumenta Piet. et Lit. pag. I: „Exhibetur primo loco Catalogus codicum Graecorum Mss., qui quondam in Bibliotheca Palatina asservabantur. Confecit eum

dubie multas fecerat, nunc quidem pauciores exstant; unam elegantissimam hac data occasione commemoremus, qua Aristotelis opera dedicavit Guilielmo, Ludovico, Georgio, Hassiae Principibus.

Quo rariores illae, eo minus supervacaneum est mihi visum has ipsas, quas quinque numero ad Melissum dederat vir praestantissimus[9]), typis descriptas publici juris facere. Utut est, quae exiguis saepe paginis inclusit Sylburgius, ea mihi magnis aliorum voluminibus potiora vi-

---

jussu Electoris Palatini Fridericus Sylburgius Veteranus, vir graece doctissimus. Latinorum codicum catalogum nullum vidimus, suppleri tamen quodammodo ejus defectus posset per Indicem librorum e Fuggeriana Bibliotheca in Palatinam translatorum, quem idem Sylburgius confecisse dicitur et quem Cl. Ulricus Meurerus possidet." Nec usque quaque rectum doctumve de hoc catalogo codd. grr. judicium fertur in J. H. Andreae Riesmanno Rediv. p. 99: „Verum autem nudus est index, in quo auctorum tituli, verbis Latinis expressi, tantum modo occurrunt; nulla tamen, ex quibus conditio antiquitasque codicum cognosci possit, criteria subjiciuntur." — Contra insunt multae notationes antiquitatis, argumenti, aliaeque ad rem literariam facientes. Et deproperaverat haud dubie Sylburgius hujus catalogi scriptionem, quo voluntatem suam probaret Principi suo, qui ei hoc munus imposuerat. Sed etsi integrum quinquennium, quod hic transegit, in illud opus impendisset, accuratum tamen censum quadringentorum triginta et unius codicum graecorum agere non potuisset. Quod nemo nescit nisi qui hujusmodi negotiorum rationem ignorat, et ipse expertus sum, cum decennio abhinc unum alterumque librum graecum mscr. recenserem ex iis, qui, intercedente Augustissimo Principe nostro faventibusque reliquis Principibus, cum latinis aliquot libris, triginta octo numero quasi postliminio nobis restituti sunt. Vid. nostra Meletemata e disciplina antiquitatis, parte I. Lips. 1817. Utinam Cel. B. Hasius Parisinae Regiae Bibliothecae Curator edere potuisset, quem meditabatur, Catalogum omnium eorum codicum mss. qui e Vaticana in Regiam Parisiensem transierant. Sed ab eo viro doctissimo majora exspectamus, si quando, quidquid librorum graece scriptorum in ea bibliotheca Regis inest, accurate a se descriptum evulgabit.

9) Communicavit liberaliter has epistolas mecum, Manhemii in vetustis schedulis a se repertas, Batt, Philosophiae Doctor, vir eruditissimus mihique amicissimus. Eis ego, sicubi explicationis lucem postulare videbantur, notulas adjiciendas existimavi.

dentur. Quod judicium qualecunque meum si Vobis comprobaro, spero fore, ut hoc munusculi non indignum arbitremini vel Philippea Academia, vel his sacris, quibus ea jam tertium inauguratur. Faxit Deus Optimus Maximus, ut illa alma mater doctrinarum laetiora in dies incrementa capiat, utque antiquam suam gloriam perpetuo tueatur et augeat. Itaque Valete Viri Venerabiles, Prudentissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Humanissimi, mihique favete.

Scribebam Heidelbergae Idibus Juliis anni MDCCCXXVII.

I.

CLARISSIMO VIRO PAULO MELISSO, BIBLIOTHECARIO ET CONSILIARIO PALATINO, AMICO PLURIMUM COLENDO. HAIDELBERGAE.

(Redd. 8. May 1588. Ha.)

S. Petii nuper ut vulgatam Spartiani editionem cum Epitome vestra, ut Pithoeus appellat, conferres: ut ex ea demum collatione certior fierem, sitne epitome an plena historia[10]), quae in bibliotheca vestra exstat De vita Impe-

---

10) Adjeci an, quod et sententia postulat et sequentia habent. Gruteri Salmasiique aetate in bibliotheca Heidelbergensi et integer codex exstabat Spartiani et ex eodem scriptore Excerpta. Ita enim Salmasius ad Historiae Augustae Scriptores sex p. 2 sq. ed. Lugd. Batav. Hackianae 1671: „Aelii Spartiani] Ita liber Palatinae Bibliothecae semper scriptum exhibet: qui liber ut de auctorum istorum recensione et nova eorundem editione cogitare vellemus atque etiam fortasse possemus, solus effecit." — „Sed quod etiam magis mireris dicam. Vidi antiquissima Spartiani excerpta, quae servantur in Bibliotheca illustrissimi Principis, Comitis Palatini, quibus excerptis si fides habenda est, nullus in hac historia Vulcatio Gallicano locus; nullus Aelio Lampridio, nullus etiam Julio Capitolino, nisi in Maximinis tantum et iis imperatoribus qui sequuntur usque ad Valerianum: reliquos enim omnes ab Hadriano in Maximinos Spartiano soli tribuit et Maximinos etiam." Cf. etiam Gruteri not. p. 6. Unde intelligitur praestantissimos illos codices Heidelbergenses primam materiam exhibuisse disputationibus criticis, quae de Scriptoribus Historiae Augustae inde a Salmasii aetate ad nostram usque memoriam pertinuerunt;

ratoris ἀναγραφή. Ea collatio, ut commodius institui a te possit, mitto ad te folium editionis nostrae. Pervenimus enim jam ad eam historiae Augustae partem, ac dabimus operam, Deo adjuvante, ut duo priores tomi simul ad mercatum proximum prodeant. Tu ergo, Melisse mi, primo quoque tempore collationem persequere. Satis erit, si duas has paginas, quas mitto, cum exemplari vestro manuscripto compares, nam facile inde cognosci poterit, quod peto, sitne plena historia an breviarium. Alteram et chartulam, in qua duplex est annorum a mundi exordio e veterum monumentis collectio, cum membranis vestris contendes, et si quid vel amplius vel aliter habere videtur codex, significabis. Celare tamen nolo, quaedam, quae magis ad sacram quam ad notitiam historicam pertinebant, de industria a me fuisse omissa, idque tantum brevitatis gratia factum. tantum excerpenda putabam ea quae ad Cassiodori[11]) collationem congruerent. Vale et amicos saluta.

29. Aprilis 1588.

F. Sylburg.

II.

CL. V. PAULO MELISSO.

(Redd. 15. May 1588. Ha.)

S. Literas tuas cum annorum collectione et Historiae Augustae delineatione accepi, Melisse optime. pro quo officio quantas possum maximas ago gratias. Sed hoc tamen

---

de quibus consulendi sunt Jo. A. Ernesti ad Fabricii Biblioth. Lat. Tom. III. p. 93 sqq. Saxius in Onomastico I. p. 378. Heynius in Opuscull. Acadd. VI. p. 66 sqq. et Fr. Schoell in Histoire Abrégée de la Litérature Romaine III. p. 149 sqq.

11) Hoc loco, ubi Chronologiae mentio fit, cogitandum est Chronicon breve sive Chronicon Consulare, quod Theodosii Magni jussu concinnavit Magnus Aurelius Cassiodorus, vel potius Cassiodorius, res memorabiliores complectens inde a mundi primordiis usque ad annum 519 p. Chr., quod ipsum in temporum rationibus saepissime turbatum ad editionem exornare meditatur Sylburgius. Inest in hujus Historiae Romanae Scriptorum Francof. 1588. Tomo I. p. 591 sqq.; ne forte hoc loco de Sylburgii familiari Cassiodoro cogites, de quo scribit epistola quinta.

adhuc peto, ut duas illas paginas editionis nostrae, quas de Hadriani vita nuper ad te misi, cum vestro conferas exemplari et per certos homines ad me remittas. ex ea namque collatione certius aliquid de tota re constituere potero, quamquam e paucis illis versibus, quos misisti, et ex foliorum numero, quem indicasti, jam pene certus sum non epitomen esse historiae Augustae ex Spartiano et ceteris excerptam, sed ipsam eorundem historiam, procul dubio tamen a vulgatis editionibus nonnusquam discrepantem. De Chalcondyle[12]) scripsi ad Leonclaium. ubi ad me rescripserit, videbimus quid facto opus sit futurum. De Augustoburgensibus[13]) annalibus ad Vechelios meos retuli. placet argumentum, et quidem ita, ut edere illas suis typis sint parati: modo exemplar pro eo mittatur correctum. Ad molem operis quid attinet, quia scripturam ipsam non vidimus, de voluminis magnitudine nihil certi possumus conjicere. quae si mediocris foret, fortasse hac aestate res posset confici. Tu ergo de cetero dispice, quid in utriusque partis rem futurum existimes. Historiae Turcicae exemplum[14]) si non per hunc vehicularium mittere potero, mittam brevi per alium. quod tibi pro arrhabone donant heri mei. Ego quoque, si quid gratiae tibi pro quotidianis of-

---

12) Joannes Leunclavius latine vertit et continuavit Annales Sultanorum adjectos Laonici Chalcondylae Historiis. Vid. edit. C. A. Fabrotti. Paris 1650. fol. et Venet. 1728. in Historicorum Byzantt. Corpore. cf. G. Jo. Vossium de Historicis graecis II. 30. p. 236. et Joseph v. Hammer, viri illustris mihique amicissimi, Geschichte des Osmanischen Reichs I. p. XXIV. et passim.

13) Fallor, aut est Anonymi Augustense Chronicon, de quo Francofurti ad Moenum edendo tunc temporis cogitasse videtur Melissi civis Marquardus Freherus, postea inclusum in ejus Corpore Scriptorum Germanicorum. De illo Chronico vid. G. Jo. Vossium de Historicis Latinis III. 1. p. 229. (G. Vossii Operum).

14) Ni me conjectura fallit, sunt Chronica Turcica, quae a Philippo Lonicero Professore Lingg. orientalium et Theologiae Marburgensi conscripta sub hoc tempus, nimirum anno 1584, duobus tomis Francofurti ad Moenum typis impressa ediderat Joannes Wechelius, Sylburgii nostri patronus; de qua editione consule Meuselii Bibliothecam Historicam II. 1. p. 280 sq.

ficiis referre videbor posse, paratus sum pro mea tenuitate tuis commodis prodesse. Vale mi Melisse, ac nos juvare perge. Salutant te mei, ego et ceteros amicos, imprimis D. Reuterum[15]). Stephanus an nostram historiae Romanae dispositionem apud te vel ante vel post mercatum hunc viderit, rescire cupio. rogo sane, ut eam nullis, nisi qui juvare nos velint aut possint, ostendas. Nosti enim aemulationes et consuetudinem canis in praesepi[16]). verum haec in aurem, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι.

Francof. May 1588.

F. Sylburg.

---

15) Est Quirinus Reuterus Mosbaco-Palatinus reformatae formulae Theologus, qui sub hoc ipsum tempus Heidelbergae redditus in Collegio Sapientiae docebat. Ejus res attigit Andreae in Riesmanno rediv. p. 79. 82. 85. 124. 149.

16) Salsissime dictum! Nemo enim ignorat illud apud Suidam: *Κύων ἐν τῇ φάτνῃ*, de iis in proverbio dici solitum, qui nec ipsi rebus utuntur, nec alios uti sinunt. Quod cum h. l. in Henricum Stephanum II. dicatur, anquiri potest, utrum tunc temporis Sylburgii voluntas in eum virum, a quo Lutetiae agens in Graecis profecerat, quem in Thesauro Linguae Graecae condendo tantopere adjuverat, hactenus immutata fuerit, an fortasse hoc tribuerit patronis suis Wechelii heredibus, qui, ut solent mercatores, sua consilia celare volebant Stephanum. Hoc posterius verum esse testatur locus in Sylburgii epistola ad Justum Lipsium in P. Burmanni Sylloge Tom. I. p. 345.: „Velim autem de instituto nostro (Historiae Romanae scriptorum edendorum) apud alios typographos sileas. Nosti enim *τῶν ὁμοτέχνων τὸ φιλένεδρον*.“ Arguunt igitur haec non tam ingratum in Stephanum animum, quam nimis gratum in patronos suos, nimiumque inter invidos et anxios in alteram partem studium. De illa autem Romanae historiae scriptorum editione instituenda consuluit Sylburgius viros ea aetate in literis principes, ut Just. Lipsium epistolis binis l. l., Scipionem Gentilem in epistola 1587 Heidelbergam data (in Marquardi Gudii Epistolis p. 338.) Josephumque Scaligerum (in Sylloge Burmanniana II. p. 316 sq.). Atque in hac epistola ad Scaligerum illa quoque posuit: „Maxime autem ad tertii tomi perfectionem tua ope nobis opus est. Is Graecis scriptoribus cum Latina versione dicatus est; nempe Fastis Graecis etc.“ Egregia autem Chronica Graeca nactus erat Sylburgius a Pinello, Riccobono, Is. Casaubono. Vid. Sylburgii Praefat. in Fabricii Biblioth. Graec. vol. XIII. p. 636 sqq. et de universo Corpore Historicorum Sylburgiano ejusdem Bibl. Latin. Tom. III. p. 281. ed. Jo. A. Ernesti. Quod Sylburgius in

III.

CL. V. PAULO MELISSO.

(Redd. 6. Juny 1588. Ha.)

S. Mensis est circiter cum ad te et Commelinum nostrum dedi literas, antequam scilicet postremas tuas acciperem. Sed cum interea nihil abs te responsum sit, dubito an eas acceperis. Jam ut ad postremas quoque respondeam, pro utraque collatione ago tibi et habeo gratias quam maximas, Melisse optime: ac vicissim tibi officia mea in futurum defero. Ad chronologiam porro quod attinet, simulatque illam vidi, agnovi eam cum Cuspinianea[17]) eandem esse; nam meorum quoque partem, ex iis quae ad te miseram, ex eodem Cuspiniano excerpseram. Prius X in XXV. Tiberii anno expungendum esse, tum antecedentia docent, tum confirmant ea, quae noster Eusebius m. S. habet. In ceteris major est vestri m. S. quam Cuspinianei expressi fides. Sed et in Augusteae historiae scriptoribus vestri Codicis auctoritatem passim vulgatis editionibus ante-

---

Praefat. laudata Catalogi Olympiadum et proxime Eusebii mentionem facit, hac data occasione addere liceat, illam Ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴν Eusebiano thesauro temporum p. 313. a Jos. Scaligero insertam, et a plerisque viris doctis, Valckenario etiam, et F. A. Wolfio pro Scaligerano opere habitam, ex asse congruere cum contextu Armenico p. 140—163. in Eusebii Chronicorum libris ed. Angel. Maii et Jo. Zohrabi Mediolani 1818., neque proinde Scaligeri esse sed Anonymi Graeci. Hoc nuper etiam vidit Schoell in Histoire de la Litérature Grecque VI. p. 333. Ceterum, quod a Burmanno praetermissum miror, vocem Φιλένεδρον in l. l. epistolae ad Just. Lipsium ipse fecisse videtur vir graece doctissimus Sylburgius, analogiam secutus vocum Φιλέμπορον, Φιλήδονον, aliarum. Illius loco si τὸ ἔνεδρον posuisset, quo insidiosum illud significaret, Alexandrinorum certe auctoritate se tueri poterat; vid. Wassenberg. ad Homer. p. 39. Schleusneri Spicil. II. Lex. Biel. p. 65. Attamen pro ἔνεδρον substantivo e codicibus ἐνέδραν in ordinem reduxit Actt. Apost. XXIII. 16. Griesbachius, ubi vid. Var. Lect. et annot. N. T. vol. II. pag. 132. ed. alter.

17) Joannes Cuspinianus (Spieshammer) Sweinfurtensis Francus postea in Vindobonensi academia historicus Cassiodorii Chronicon ediderat cum commentario. Exstat in ejus operibus Francof. 1601. De hoc viro vide quos laudat Saxius in Onomast. III. p. 32 sq.

ferendam esse video: eamque ob rem antequam ad notationes conscribendas aggrediar, collatione opus fore sentio. Sed cum temporis angustia id hac aestate non concedat, differendum erit negotium in autumnum proximum: praesertim cum eodem tempore alia quoque in eodem argumento collationem a me requirant. Interea quantum possum in persequendo instituto propero. De Annalibus Augustoburgensibus scripsi nuper quid promiserint mei, nempe impressuros librum, modo probe correctus mittatur tempestive. Puto etiam te accepisse Historiam Turcicam, quam recens a nobis expressam dono tibi miserunt, suae erga te benevolentiae argumentum, et quandam in futurum arrham. Tu quid facto sit opus dispicies, et per occasionem rescribes. Vale, et amicos saluta, inprimis D. Reuberum[18]).

Francof. 2. Junii 1588.

F. Sylburg.

IV.

CLAR. VIRO P. MELISSO, CONSILIARIO ET BIBLIOTHECARIO PALATINO, AMICO SUMMOPERE COLENDO.

(Redd. 6. Aug. 1589. Ha.)

S. Syngrapham qua forma praeivistis, misi dominico superiore. Sed prius rescire cupio, compactane velis, an incompacta; et an per tabellarios vestros ea mitti velis, an ad proximum mercatum rem differri. Tu ergo, Melisse mi, per occasionem id significabis. Ego ad Herodianum magis magisque excolendum opus adhuc habeo prima ejus auctoris editione, Aldina: praesertim si Politiani versio[19]) in ea

18) „Justus Reuberus inclytus iste et perspicacissimus scriptorum rerum Germanicarum collector, qui vulgo dicebatur cor Joannis Casimiri Comitis Palat. Rhen. atque Electoratus Administratoris, Odernhemii in pago Palatinatus terrae mandatus m. Junio 1607." Andreae in Riesmanno rediv. p. 165. — Ejus Collectio Scriptorum Germann. prodiit, adjecta viri vita, Francofurti ad Moenum 1722.

19) Angeli Politiani interpretationem historiarum Herodiani latinam elegantia sua hodie quoque criticis commendari nemo paullo humanior ignorat. Qui in fine epistolae memoratur Opsopoeus (Koch) est Joannes ille Bretta-Palatinus Philippi Melanchthonis civis, qui

editione habeat adnotationes marginales, quarum ille in Praefatione ad Andream Magnanimum inter alia mentionem facit. illas enim adnotationes in recentioribus editionibus, Basiliensibus scilicet et Genevensibus, non reperio. Rogo igitur certiorem me facias, an primum illa Herodiani editio in vestra bibliotheca exstet, an Politiani adnotationes istas marginales habeat, et quae impetrandi exemplaris sit ratio. De iisdem prolixius tecum aget Opsopoeus noster, ut petii. Vale. Salutat te Marnius, Aubrius abest Viennis.

Francof. pridie Kal. Aug. 1589.

F. Sylburg.

Libri vestri quin curae mihi sint futuri, non est quod dubites.

V.

PAULO MELISSO V. C.

(Redd. 3. Oct. 1589.)

S. Ternas abs te accepi, Melisse optime. Ad quas ut his unis tibi respondeam, mitto quae petivisti omnia, Seneca excepto; cujus intra annum et amplius nulla hic prostiterunt exemplaria, nec ulla in his bellorum tumultibus exspectari possunt. Adornatur nunc ejusdem Senecae editio Dalecampiana, e quindecim libris m. s., cujus exemplar hoc mercatu hic vidi. Sed vix ante autumnales sequentis anni nundinas prodibit. quod tamen tibi dumtaxat dictum putes. Corpus juris civilis forma quarta non prostat amplius. itaque misi ei proximum forma octava, quod si forte non placet, non gravabimur recipere. Vicissim Apollonium, cujus specimen cum hisce mitto, περὶ συντάξεως m. S.[20])

---

tunc temporis Francofurti ad Moenum in celeberrimo Wecheliorum Typographeo una cum Sylburgio corrigendis operarum erratis curam suam adhibebat; postea Medicus et Professor Heidelbergensis editionibus Hippocratis et aliorum scriptorum Graecorum inclaruit. De eo vid. Freheri Theatrum Part. III. p. 1296. Melch. Adami Vitas Germanorum Medicorum p. 325 sqq. et Catalog. Biblioth. Bunav. I. 2. p. 1479.

20) De hoc codice et de Sylburgii editione, quae Francofurti prodiit ap. Wechelios 1590, vid. Imman. Bekkeri Praefationem ad ipsius Apollonii Alexandrini de Constructione libros. Berolini 1817.

a vobis exspectamus, ea cautione et conditione, qua codices alteros. nam horis subsecivis recensendus mihi auctor ipse; ut tomo, qui nunc sub prelo est et brevi spatio Deo juvante absolvetur, absque mora succedat. Herodianum quia non habetis, quem quaerimus, requirere desino, et iis, quae inveniri potuerunt, utar. Lipsii Politica Commelinus noster seorsim tibi reddet. ei enim Plantini minister tradidit: atque ipse te accepisse affirmavit. Scheckio[21]) carmen tuum praesens praesenti reddidi: ut ipse per literas fortasse tibi significavit. Cassiodorus se aliis hucusque occupatum musas intermisisse ait. Simulatque vero per negotia condere plura licuerit, missurum pollicetur libenter. Praetorius[22]) magno cum desiderio responsum abs te exspectavit,

---

21) Jacobus Schegkius (Degen) minor, majoris nepos, Philologus, cujus Observationum et Emendationum Praemessa Francofurti edita 1590. Janus Gruterus in Lampade sua Critica, Tom. IV. repetiit.

22) Videtur esse Bernardus Praetorius, Hassus Jureconsultus idemque poëta, de quo vid. Joecher III. p. 1745.

Cassiodorus de Reyna sive Reinius senior Hispanus Hispalensis, civis Francofurtensis, Verbi divini interpres doctissimus et minister apud Anglos, Belgas, Germanos eloquentissimus, Francofurti et antea „manuum opificio (quod ipse ad Joannem Sturmium infantis sui susceptorem scripsit) et industria vixit" et extremum aetatis annum ab XXmo die Jul. 1593. ad XVmum Mart. 1594. verbum divinum in ecclesia Gallica praedicans degit. Vid. Lehnemanni Historische Nachricht der Ev. L. Kirche in Antorff (Antwerpiae) p. 136 sqq. p. 59 sq. et p. 90 sqq. ubi Cassiodori effigies, quam alia exemplaria in fronte voluminis praefixam exhibent, et ubi etiam de Willero Cassiodori adversario. ibid. p. 104. de Stephano Praetorio. Cf. Ritteri Ev. Denkmahl p. 426 sqq. et Lersneri Chronica II. p. 66. Cassiodorum anno 1579. ex Anglia Antwerpiam reversum ibique post biennium fere turbas expertum (Lehnem. l. c. in Additamentis p. 167 sq.) Francofurti 26. Spt. 1589. esse commoratum Sylburgii Epistola docet.

Jacobus Christmannus Heidelbergensis Arabicum sermonem primus omnium publice docuit Heidelbergae, libris etiam Arabicis editis inclaruit, nec minus controversiis super Chronologia et Historia, quibus cum Justo Lipsio et Josepho Scaligero decertavit. Vid. Burmann. ad Syllogen Epistoll. I. p. 159 sq. (ubi etiam Pauli Melissi mentio) et Jo. Henr. Andreae in Historia Gymnasii Heidelbergensis Spicil. I. p. 8. p. 11. p. 18. et in Riesmanno rediv. p. 161.

discessurus a nobis, ubi per te voti compos erit factus. De Christmanni libro nihil dum constituere potuerunt heri mei. Cum primum vero aliquid certi deliberaverint, vos quoque ea de re certiores faciam. Interea valete, nosque amare ac juvare pergite. Resalutant te heri mei, et Cassiodorus.

Francof. 26. Sept. 1589.

F. Sylburg.

Libros Commelino tradidi in duobus fascibus.

Isaacus Cellarius, Willeri Augustani minister, paucis post mercatum diebus hic mortuus et sepultus est.

II.*)

1) BANGIO VIRO PL. REV. P. S. HEYNE.

Jam ab illo tempore, quo Wyttenbachius noster miserat ad me Elogium Tuum Wyttenbachii patris**) avidus fui notitiae et amicitiae Tecum conjungendae, inprimis cum ille ejus rei spem mihi ostendisset.

Superiore vere et aestate, cum Theologorum ordini unus et alter decederet, semel iterumque Tui memoria in animum recurrebat, feci quoque Tui mentionem, sed nemo erat quisquam, qui quidem Tui notitiam haberet, inter nostrates; neque scripta Tua theologica ulla poteram commemorare; desiderabatur tamen Theologus scriptorum laude ac fama aliquantum clarus ac probatus.

Rediit haec res ad allegendos viros juvenes, qui non

---

*) Ejusdem aetatis doctorum virorum: „Josephi Scaligeri, Cujacii, Hotomanni et Danaei Epistolas quinque, ex autographis Bongarsianis nunc primum in lucem editas" obtulit mihi, munus professorium per quadraginta annos Heidelbergae gestum gratulans, junctissimus Collega Fridericus Kortüm, quas non magis hoc loco repetere licet, quam alias vel Epistolas vel alia Scripta latina, quae mihi eodem die festo obtulerunt alii viri docti et amici Theodorus Bergk, Fridericus Jacobs, Ludovicus Kayser et Leonardus Spengel (vid. Vitam meam vernacule delineatam p. 190 sq.). Nec magis repetam aliquot Epistolas mutuas J. Jacobi Hottingeri et Danielis Wyttenbachii ab Ochsnero V. Cl. mecum communicatas. Denique omitto quidquid in schedis meis est Epistolarum, a claris viris vel latine vel italice, gallice, anglice germaniceve ad me scriptarum, quas in eadem Vita mea partim integras exhibui partim excerpsi aut attigi. Potius pedem nunc cum maxime referam in illud vitae meae stadium, quo Bangius avunculus meus mea studia regere coeperat; quem virum quanti fecerit Heynius, docet Heynii ipsius Epistola, quam supra primo loco posui, quanti Wyttenbachius, docent hujus Epistolae plurimae partim ad ipsum partim ad me datae.

**) Professoris Theologiae in Academia Marburgensi. Bernae 1781.

vulgarem de se excitassent spem, ita ut extra ordinem Professores constituerentur; verum neque Te jam tanta aetate constitutum hoc numero comprehendere licebat, nec stipendium, quo quidem familiam pater familias alere posset, hoc titulo constitui poterát.

Cum in valetudine Lessii tam parum firmata verendum sit, ne intra multum temporis, forte paucis annis, simile tempus incidat, ut tum de Te cogitatio ac notitia moveri possit, saltem opus erit, ut theologicis speciminibus, inprimis exegeticis, aliquam Tibi famam interea compares; est enim hoc, quod in exteris huc evocandis vel maxime spectatur; quorsum alioquin aliunde peteretur et incerta alea arcesseretur quod his in terris affatim habetur? Hoc igitur mediteris velim, hoc pares, ut, ubi tempus aliquando advenerit, opera amicorum prodesse Tibi possit: in his neminem puta Tui studiosiorem esse aut fore hoc eodem homine, qui vel non lacessitus Tuis commodis inservire voluit. Vale Vir praestantissime. Scr. Gottingae d. 24. Dec. 1784.

2) BANGII EPISTOLA AD CREUZERUM.

Georgio Fried. Crucigero, e sorore nepoti S. D. Bangius. Diu est, cum me nihil tanta affecit laetitia, quanta affecerunt Tuae literae Jena ad me datae, quibus et placere Tibi istum secessum, Musarum sedem, significas, et misisti formam quandam scholarum Griesbachianarum, et scribis denique Te cum fratre constituisse, dum feriae essent, Halam atque adeo Bangium meum invisere. Habes igitur, quod maxime expetisti, urbem liberalissimis studiis atque eruditissimis hominibus affluentem, unde inanem reverti Tibi foret turpissimum, decoranti tantam et urbis et hominum auctoritatem. Quod equidem, qui Te optime nosse videor, minime vereor. Modo memor sis, initia quaedam doctrinae ex Academico spatio reportari, nihil praeterea, cetera et lectioni et meditationi relicta esse multo et majora et uberiora, ut non tam istic res discendae, quam rerum discendarum quaedam percipienda via sit. Quod Tu aliquando ipse judicabis, cum, ut spero, bene paratus Te ad légendum et ad scribendum et vero faciendum de-

deris. Velim igitur, quod et prius monere me memini, ea nunc potissimum Tibi cordi sint, quae sine viva doctoris voce minus commode percipiuntur; quo in genere sunt rerum cum mathematicarum tum physicarum studia. Historiae Ecclesiasticae scientia e multis peti libris nullo incommodo potest, sed praestat quoddam ejus filum per idoneum magistrum cito comprehendere. Neque vero exegesis est omittenda, sed ita, ut dum sacrarum literarum interpretem audis, ipse judices tacite, quanta literarum non Latinarum modo et Graecarum, sed Orientalium opus sit apparatu, si quis velit aliquando hoc in genere non dicam cum laude versari, sed non turpiter se dare, quam peritum atque exercitatum hominem esse deceat, et quam sine hac facultate frigeat Theologia.

Quod σύνταγμα illud, quod Hagae ante hoc biennium praemium reportavit, Tibi mitti cupis, quo legere possis: non id est ejus generis, quod aut mitti commode, aut ut nunc quidem est, studiis Tuis inservire magnopere possit. Tractabis igitur, cum redieris, Tuo arbitratu. Tum etiam plura, quae epistola non capit, de Professorum ingeniis et de tota ista peregrinatione exquiram. Me versat nunc maxime disputatio una itemque altera mense Aug. Hagam ad certamen mittenda. — Ego valeo, si non optime, at ut Deo summas gratias agam. Mei omnes recte valent, Teque cum fratre, quem meo etiam nomine salutabis optime, salvere jubent. Vale. Scrib. d. XXXI. Maji 91. *)

*) De hoc viro vide nunc Vitae meae adumbrationem p. 14—16. — Me vero quod attinet, Epistolarum aliorumque Scriptorum causa, quorum aliquot specimina hinc inde usque ad finem hujus libri a me exhibebuntur, Lectores admonitos volo, me anno 1800. Marburgi Chattorum primum cathedram esse nactum Linguae Graecae, deinde biennio post Professorem Eloquentiae esse factum indeque, altero biennio exacto 1804, ad munus professorium Literarum Heidelbergam esse vocatum, utrobique autem, praeter privatas Epistolas aliasque Scriptiones, mihi publicas multas variasque conscribendas fuisse; quas singulas si vel breviatas huic libro inserere velim, verendum sit, ne is in molem nimiam excresceret. Unde consultum existimavi, hoc in Volumine singulorum generum nonnisi Exempla includere. Ceterum Lectores conferant Vitam meam p. 30 sqq. et p. 209 sqq.

3) LITERAE PUBLICAE, QUIBUS ACADEMIAE DORPATENSI FAUSTA INITIA GRATULATUR ACADEMIA MARBURGENSIS. RECTORI MAGNIFICO, VIRIS MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS UNIVERSITATIS DORPATENSIS PROFESSORES UNIVERSITATIS MARBURGENSIS S. P. D.

Sicuti quaecunque ubique literis fausta eveniunt, summa semper voluptate nos afficiunt, ita in sinu gavisi sumus, cum primum, easdem insigni Imperatoris Alexandri clementia auctas istic laetius efflorescere ex actis diurnis cognosceremus. Est enim haec artium liberalium indoles, ut ipsarum amantes liberalissimis sui propagandi studiis imbuant; quod ipsum hanc vim habere nostis, ut si ita fieri possit earundem usum cum universo terrarum orbe communicatum velimus. Quare praedicanda nobis visa est Alexandri I. egregia liberalitas, qui, quas haec aetas bello funestissimo afflixit ingenuas artes excitandas sibi esse honestissime crediderit. Dignum vero Petri I. illius virtute facinus, qui istas terras primus a barbarie vindicavit, et Augustae aviae, quae hujus exemplo commota summo honore maximisque praemiis literas aluit auxitque. Quarum cum jam egregius Ipsius Nepos patrocinium suscipiat, retribuent eae eum fructum, qui est omnibus imperiis anteponendus, commendaturae ipsum patronum suum sempiternae gratae posteritatis memoriae. Haec nobis cogitantes vocavit nos in majorem quoque laetitiae Vestrae partem ipsa epistola, nuper reddita nobis, plena humanitatis, quae ostendendae benivolentiae nostrae occasionem dedit. Ac de isto quidem officio Vobis nunc, ut debemus, gratias agimus: de ipsa vero re, quam significatis, ita gratulamur, ut ab hominibus amicissimis fieri maxime solet.

Praeclare sane Vobiscum agitur quod eum Academiae auctorem nacti estis, cujus virtus quasi in specula quadam excelsa atque illustri posita sit, unde opem ostentare doctis omnibus videatur. Quod quidem institutae Academiae beneficium quibus animis excipiatis, testantur literae Vestrae, testabunturque monimenta ingenii, quibus tum Ipsi conditori, tum ceteris omnibus mentem Vestram indicatam perspicuamque esse cupietis. Neque Ille in posterum quid-

quam praetermittet, quod ad res Vestras augendas ornandasque pertineat. Itaque copulata decora tale quiddam effectum praestabunt, quod quale futurum sit, nunc etiam augurari nobis videmur posse.

Quod reliquum est, nos quidem numquam patiemur, latere Vos si quid sub clementissimi Principis Nostri auspiciis in Alma nostra academia procusum fuerit.

Scribebamus Marburgi Die VI. Id. Februar. MDCCCIII.

4) EXCERPTUM EPISTOLAE PRIMAE WYTTENBACHII AD CREUZERUM *).

— Ergo Tu nunc Marburgo Heidelbergam delatus ea vitae suavitate et commoditate frueris, ut nil magnopere desiderare videaris. Quam quidem felicitatem diuturnam immo perpetuam Tibi fore et spero et opto. Quamquam his temporibus, ubi quotannis novae conversiones publice ingruunt, quid sibi privatim quis proprium spondeat vix intelligimus. Adeo diversa conditione, quam ante haec tria lustra, nunc vivimus, ut res externae quamvis in tanto detrimento non poenitendae, tamen quotidie ne evertantur verendum sit. Sed malo animum a futuris ac tristibus ad laeta quamvis praeterita referre. —

De his aliisque rebus in literata Germania novis velim mihi scribas. Incredibile enim est ut de rebus exteris nil inaudiamus: et minime omnium ego, qui per diram illam nostrae urbis stragem, diffracta domo, amissis multis rebus in hortulum suburbanum evasi: ubi adhuc habito.

Quod praeter Bangium nostrum etiam Griesbachium, Schützium, Beckium, Hermannum, Tiedemannum audivisti, doctissimos profecto et solertissimos nostrae Tu aetatis magistros habuisti: cujusmodi mihi velim collegam obtigisse, qui mortuo Ruhnkenio succedens neminem hic magnopere habeam, quocum nostris quidem de Literis *συμφιλολογεῖν* ac discere possim. Nuper alteram Selectorum meorum recensionem edidi, idque solus, orbatus scilicet ad-

*) De Wyttenbachio ejusque nepte, postea uxore, Johanna Gallien consule nunc Vitam meam, Epimetr. II. p. 79—89.

monitore Ruhnkenio meo. In Valckenarii locum, annitente eodem Ruhnkenio, successerat Luzacius, qui per calamitosam hujus urbis cladem oppressus et exstinctus est.

Savignius ille tuus idem videtur esse qui edito libello *de natura possessionis* magnam laudem consecutus est: quod argumentum nostras Cuperus, meus quondam discipulus in Literis, postea Thiebautius, Gottingensis Professor, tractarunt. Ego vero numquam sine dolore de praesente Literarum in Germania conditione cogito: inprimis de doctissimis viris, quorum fortunas bellum vel urbium vastatione vel ditionum conversione afflixit.

In Heracliteis vero reliquiis colligendis et edendis si operam tuam ponere decreveris, approbatorem certe me habebis: fortasse etiam, si quidem volueris, adjutorem: modo aliquid copiolae meis in Adversariis lateat, hoc quidquid sit Tibi defero. — Illud inprimis cura, ut valeas, Teque nobis literisque serves. Ita rursus vale mihique, quod facis, fave. Scripsi Leidae d. 16. Septembris a. 1808.

5) EXCERPTUM EPISTOLAE CREUZERI AD MORELLIUM.

Viro plurimum Reverendo et Clarissimo Jacobo Morellio S. D. P. Fred. Creuzer. Insigniter me devinxisti, Vir clarissime, et epistola Tua et variante lectione Codicum Venetorum libri Plotiniani περὶ ἀθανασίας ψυχῆς. — Quod quaeris de *Boeckhio* nuper Collega meo, abiit ille ante hoc biennium vocatus Berolinum, ubi eodem fere tempore prodiit Pindari ab eo procurati Tomus prior, qui textum habet nova ratione metrica dispositum versibus longioribus. Quem librum miror ad TE non esse missum. Malo tamen credere, vitium hoc esse impediti librorum istuc mittendorum itineris, quam Editoris negligentiam. Quae enim Tibi plurima debeat ipse fatetur in Praefatione p. VII sq. his verbis: — „et in prima Olympica oda septem Marcianorum librorum usum liberalissimi Heynii debemus beneficio. Horum lectiones a sene humanitate nescio an doctrina magis insigni, Jacobo Morellio excerptae, quum in meas manus venissent, Morellius a me rogatus in cumulum officii adjecit varietatem eorundem Codicum ex Pythiis et

Nemeis collectam." Haec ille. Ipse tamen sciscitabor, quid factum sit isto exemplo Pindari Boeckhiani, TEcum, uti par est, communicando. De Wyttenbachio quod quaeris, ipsi continuo significavi quae Tua fuerit sciscitantis sollicitudo, neque internuntium fore earum rerum, quae TE scire plurimum Tua intersit. Nunc binas huic Epistolae literas subjicere possum, alteras ab Ipso latine nepti in calamum dictatas, alteras ab eadem francogallice ad me scriptas. — Itaque vale, Vir Reverende. Heidelberga d. 26. m. Mart. a. 1813.

6) LITERARUM CREUZERI AD WYTTENBACHIUM PARS ALTERA, ANTE ILLIUS EDITIONEM PLOTINI DE PULCRITUDINE.

Igitur*) recipiamus nos ex hac arena, quo pugnaciter digladiando Adversarius me devocarat. Referamus pedem in terras patrias; et memorando aliquantisper revisamus Tuum Bangium. Quamquam Tibi patria sunt vireta ad radices Alpium, ubi infantia Tua vagiit, pueritia lusit. Sed tamen pater adolescentulum Te secum abduxit in Hassiam nostram patriam; ubi adjunctum Te dicis Bangio auctumque ab eo scientia et literarum incensum insigni amore. Neque vero ille vicissim, ut fit inter amicos honestarum studio rerum concertantes, non permulta in semet transfusa ex Tuo ingenio laetabatur. Ejus consuetudinis non dici potest quam ardens postea Vobis insederit desiderium. Quod quidem in Te tam efficax fuit, ut serio meditarere quo modo is, si minus in eadem urbe, verumtamen propinqua

---

*) Quo studiosius ego in Wyttenbachii epistolis opprimendum duxi quidquid viri optimi sed senescentis et irritabilis nimium in adversarios videretur acrimoniae habere: hoc minus hic ea repetenda existimavi, quae ipse in priore harum Literarum parte ad avertendam Tittmanni injuriam posueram, praecipue quod Godofredus Hermannus meus me suaviter monuerat, ea aliquantulum modum excessisse. — Ceterum Tu vide pag. VII—XXIX. ante Plotinum de Pulcritudine ed. Fr. Creuzer. Heidelberg. 1814, et confer: David. Ruhnkenii, Lud. Casp. Valckenarii et Aliorum ad Joh. Aug. Ernesti Epistolae. Ex Autographis edidit Joh. Aug. Henr. Tittmann, Prof. Lips. Lips. 1812.

satis, perpetuo Tecum esset. Ille, cum accipere non potuisset quod Tua ei amicitia procuraverat, suum desiderium explebat cum reminiscendo, tum mutuo commercio literarum.

Et vero proclivius eidem labi videbantur verba, ceterum minime loquaci, ubi redibat in memoriam ejus temporis, quo ipse cum Wyttenbachio suo silvas prataque perreptaverat Xenophontem aut Ciceronem secum gestans, quoad locum capesseret idoneum lectioni; ubi alternis legebat uterque

— — nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.

Nosti non fabulas captare me aut poëtarum ludibria. Tene admonebo silvulae Hombergkiorum, ubi umbracula arborum sectabamini, quo commodius legeretis, an fontis sanctae Elisabethae, unde „Hassorum bibere heroës,“ unde praeclarus late patet prospectus; inque ejus peristylio cum alia inscripta leguntur, tum haec:

„Fons sum divae Elisabethae
Terram matrem grato rigans flexu,
Qua fagi, quercus, arbusta, fruges
Et omne genus herbaceum provenit.“ *)

Hujusne nunc admonebo? Sed Te ipsum memini ea spatia locorum cum desiderio repetere sermonibus; ubi in suburbano Tuo assidentes una prospectabamus prata, et armentorum pastum cernebamus gregumque lusus ac tripudia. Atque Bangius hujusmodi narrationibus addebat ut plurimum illud:

Res severa verum gaudium.

Quam eandem sententiam retulerat in album Friderici Schlichtegrollii, affinis sui, viri clarissimi Bavaricaeque Regiae Academiae Scientiarum ab Actis universis. Qui, quae ipsius est in me amicitia, eandem postea transtulit in album meum addita honorificentissima mentione avunculi. Habebat hoc omnino Bangius, ut adolescentibus recitaret

*) Descripsit eum fontem Carolus Guilielmus Justi, vir venustarum artium inprimis gnarus mihique amicissimus, in Memorabilibus Hassiacis vernacull. Tom. IV. p. 1 sqq.

graviter dicta, quae quidem in eorum animis aculeos relinquerent. Qua in re frequentabat Halleri civis Tui carmina, quem quanti fecerit, argumento est parentis Tui vita a Bangio conscripta. Ut plurimum tamen dicta veterum. Mihi quidem eundem crebro dictitare memini illud: *in tenui labor;* Leonardo Creuzero meo illud Baconis: *Philosophia leviter gustata a Deo abducit: penitus percepta ad eum reducit.*

Ac quoniam saepiuscule a me quaesiisti cum de rebus Bangii Tui extremis, tum quid me ad literas converterit inque literis ad has potissimum partes, Tibique nunc cum maxime suppetit hoc felix otium feriarum: liceat mihi aliquantisper Te retinere confabulando.

Nosti mihi studiorum in literis meorum plures per annos socium fuisse eundem, quem dixi, Leonardum Creuzerum fratrem meum, cognatione patruelem, amore germanum. In ejus ingenio cum philosophiae semina inesse perspexisset Bangius, auctor exstitit ei, ut hoc ageret; cumque eum naviter philosophari vidisset ejusque argumenti scriptum ab eo editum legisset, impulit eundem, ut latine de Mundo optimo commentaretur. Nam cum ipse se ad Leibnitzianam rationem inclinasset, volebat hanc materiam, utpote primariam, penitius tractari. Eam commentationem Creuzerus non suasori solum, verum aliis quoque eruditis comprobavit, nactusque postea cathedram in academia nostra patria etiamnum philosophiam cum religionis doctrina saluberrime conjungit. Utrumque vero, quoad ipsi vegeta satis senectus esset, in lectione veterum retinebat avunculus, cum argumenta ederet disceptandi, ut alter poneret, contra diceret alter, ipso audiente moderanteque et castigante inprimis orationem latinam, cujus judicandae quam teretes aures habuerit, nemo Te ipso magis potest judicare. Dedimus etiam subinde nos ad scriptitandum. Quas schedas ab ipso correctas hodieque asservo in scriniis; in libris item exemplum Platonis Francofurtense formae maximae, quo ipse est usus quodque annotatum habet quo die quem dialogorum legerit. Sic, ut hoc utar, scriptum est ad Alcibiadem priorem: „Legi die 26. Augusti 1782.“ ad alte-

rum: „d. 27. Aug.“ Vides, Wyttenbachi, Bangium Tuum ne praecipite quidem aetate, nedum devexa, veterum tractationem omisisse, philosophorum etiam. A me quidem adolescentulo nolebat lectitari Platonem, sed amandabat ad Homerum, Xenophontem rerumque scriptores. Jam in historicis quid ipso suadente inchoaverim ego, quid postea vel affecerim, vel, si vita suppetet, absoluturus atque perpoliturus sim, narrare nil attinet. Igitur Platonem maturiori aetati reservandum admonebat. Quem equidem cum postea attigissem et lectiones quoque academicas habere coepissem, aegre carui et auctore et moderatore avunculo. Etenim tunc quidem hujus senectutem obscuraverat torpor ortus ex hemiplegia ejusque et memoriam et vocem obtuderat. Sed tamen in illa vita Marburgensi mihi cum doctrina sua tum amicitia insigniter profuerunt et ille patruelis quem dixi et Schwarzius nunc Theologiae Doctor mihique denuo junctus muneris necessitudine et Savignyus Juris civilis in academia Berolinensi Professor; cui viro summis me officiis devinctum in omni vita gratus profitebor. Neque tamen Bangius, licèt fractus apoplexia, non persentiscere sicubi in sermonibus quid incidisset quod ipsum adverteret, et filio familiaribusque animi sui sensa nutu ac gestu significare. Sic, ut ei Vitam illam Tuam Ruhnkenii obtuleram ejusque argumentum breviter ostenderam, bene commemini quomodo arripuerit librum, neque deposuerit de manibus, sed pressule retinuerit etiam in sinu sicut puerali vel sigilla vel crepundia alia.

Me, si quaeris, sex ipsis mensibus post Bangii obitum huc vocatum scito; ubi auctus aliquantum salario et copiosiore Bibliothecae academicae apparatu instructus laetiora studiorum incrementa cepi. Plurimum insuper auxerunt me scientia, et incenderunt philosophiae veteris amore collegae eruditi amicique. Ac Daubius mihi meus meditando docendoque unice exprimere velle videbatur illud, quod ipsum supra posui, Baconis. Neque enim umquam quisquam Professor philosophiam cum theologia salubrius copulasse putandus est. Heidelbergae item aliquot per annos egit Goerresius. Quo ego homine nihil in vita ingeniosius vidi.

Neminem vidi qui ipso magis in philosophando suus esset. Quem ego cum alienissimum reperissem ab eorum ratione, qui, quod apud Ciceronem de Stoicis esse nosti, *et spinas vellunt et ossa nudant;* cum ipso mihi egregie convenit. Idem physiologiae operam dabat nec veteres philosophos negligebat, praecipue Platonem Plotinumque, qui sua ubertate compleverunt reliquos philosophos omnes. Abeggius porro meus, vir gravis inque scriptoribus priscis cum sacris tum aliis docte versatus, creberrimo mecum colloquio conqueri solebat, misere negligi a plerisque eos philosophos veteres, quorum placita permagnam vim habeant ad N. Testamenti libros intelligendos et Patrum quoque Ecclesiae doctrinam penitius percipiendam. In quibus sermonibus cum illi mecum nullam philosophiam fructuosiorem cognossent esse ad religiones quam Platonicam, ad ejus ego fontes pedem retuli, hujus rationes, semina, ortusque et incrementa studiosius indagare coepi.

Jam vita Leidensis mea, licet brevis quidem illa impeditaque, caussaria potissimum valetudine, tamen et aliunde mihi et in his meis consiliis insigniter profuit. Nam quo tempore Paradysius ille Tuus corpus curabat meum, Tu id egisti, ut ne quid animo deesset. Cumque ego in ista brevitate inclusus gestirem et quasi heluari cuperem Lugdunensis bibliothecae opiparis librorum copiis: Tu enixe operam dedisti, ut, quod superesset mihi istic temporis, id fructuosissimum abiret. Nam et e Bibliotheca publica liberalissime, Te jubente, depromtum mihi est quidquid librorum sive scriptorum sive impressorum postulassem, et privatos insuper pluteos reclusisti mihi amicissime.

Ac quoniam plurima superessent quae excerpta voluissem; Moserum, nunc in Gymnasio Ulmensi Professorem, istic retinuisti per annum integrum, quo conferret enotatumque praestaret mihi aliisque nostratium quodcunque rationibus nostris inservire videretur. Quid? sub ipsum discessum Tu meum, quo tempore lectulo affixum me detinebat epiphora, tunc igitur rure me saepius convenisti, atque e sinu depromta mecum communicasti excerpta codicum haud vulgaria. In omni autem genere officiorum quo me

meosque obstrinxisti, ut in singulis rebus, quae vitam honestam cultamque reddunt, egregia uti soles socia ministraque Iana Gallien, nepte Tua, quae parentis loco Te veneratur et adamat. Neque enim ejus verecundiam mihi obesse committam, ne gratum certe animum eidem hac data occasione profitear. Et nosti saepiuscule mecum mirari me singulare ingenium virginis, Wyttenbachi. Nihil illa modestius vidi, nil urbanius, nihil facetius eruditiusque. Nam quod aliae in mundo suo habent, anellos, myrothecia, flosculos, alia: pro eo ea Homerum, Platonem, Plutarchum cum Virgilio habet. Neque tamen eadem pro fuso calamum, pro lana librum tractare solet, verum quas ipsa a negotiis statis communibusque horas eximit, eas vel commentando vel lectioni vel humanitatis sale sparsis sermonibus solet impendere. Itaque ut uxori meae in rerum domesticarum curis suo consilio utiliter adfuit, ita in literario genere negotiorum mihi istic officiosissima internuntia exstitit. Neque jactat sese in eis et ingenii et institutionis bonis, sed ut ceterum candidissima est et simplicissima, ita ea ipsa dissimulat et contegit. Cumque latine calleat luculenter, graecum etiam sermonem non leviter combibere coeperit, francice autem nec minus germanice ita scribat, ut ambigas utrum commodius faciat: tamen usque et usque premit quae commentata est; neque umquam arbitror editum iri, ni Tu patria utaris potestate in eam, quae filiae pietatem Tibi praestat in aliis rebus omnibus. Insunt vero ut in ipsius moribus ac sermone, sic item in epistolis, quae istinc missitantur, mirae quaedam argutiae ac Veneres, adjuncto candore et virginali quadam in ipsis quoque verbis conspicua pudicitia. Nam Vestras scito epistolas crebro sub oculos revocari a nobis, interque nos, id est, eos inter, quibuscum seria, jocosa, occulta, arcana omnia, lectitari; cum memoriam Vestram redintegramus, quod saepe facimus, et congressus nobis Vestros, rescisso quasi spatii temporisque intervallo, nobismet adsciscimus. Atque in Te, Wyttenbachi, non officiorum modo in me collatorum multitudine sum expertus, verum etiam omni vitae Tuae actione moribusque ac collegarum discipulorumque in Te

reverentia, igitur eis rebus omnibus cognovi prorsus in Te cadere illud, quod cum vere tum breviter graviterque ipse scripsisti in Vita Ruhnkenii*): „Ita enim se, profecto, res habet, ut vere doctus et literatus, nisi vir bonus, nemo esse possit.“

In me autem voluntatis Tuae cum alia documenta in epistolis, in schedis, in libris habeo, tum hunc ipsum libellum, natum bonam partem ex Leidensibus copiis, et Tuis etiam annotationibus, velut luminibus, distinctum. Neque procurasse haec mihi satis habuisti per alios: ipse comparasti, neque in satis gravi infirmitate oculis pepercisti, quos tamen nobis carissimos esse natura voluit. Itaque remitto Tibi librum, non meum magis quam Tuum, Wyttenbachi. Tuum dico eundem propterea quoque, quod Tu universi hujus consilii si minus auctor inceptorque mihi, verum tamen suasor et hortator exstitisti.

Ejus sermonis priusquam Te admoneo (nam Tibi excidit fortasse), respondendum videtur illis esse, qui tale consilium praecise reprehendant. Etenim audire mihi nunc cummaxime videor, et audii antehac voces hujusmodi: „Sed quid (malum) te in haec devia desertaque compulit philosophiae Aegyptiacae? Poteras Platoni operam dare, poteras Ciceroni, cujus librum etiam aliquem edendum Tibi sumseras.“ Sic, inquam, fere vociferantur isti delicatissime fastidiosi, qui in classicis, quos unice jactant, scriptoribus nos retineri volunt, qui Plutarchum Porphyriumque vix ferendos putant, Plotinum prorsus ejiciunt, ad posteriorum vero Jamblichi Proclique et similium mentionem etiam nauseant. Unde hoc sit tam insolens fructuosissimae et efficacissimae philosophiae fastidium, Wyttenbachi, et longum est quaerere, nec Tibi ignotum. Equidem, ut alia nonnulla vendibiliora esse scio, sic haec uberiora certe esse idem existimo. Neque enim Sosiorum vocibus ausculto, quid lucubrationibus meis eligam, sed si quid veritatis, si quid rei literarum publicae, si quid studiosae juventutis interesse videro.

---

*) pag. 241 sq.

Jam posteaquam Te, cum aliunde didicissem eadem sentire, tum vero maxime ex illa in Plutarchum Tua praefatione liquido cognossem, non dubitavi Tecum communicare mea Platonicorum tractandorum consilia. Neque ipsa illa Te volueram latere quae in *Studiorum* ego tomum primum conjeceram rudia admodum et inchoata tantummodo. Tu vero, qui translationes vernaculas alioqui non magis soleas lectitare, quam ego facere, legisti tamen, et haec Tibi probari testatus es praesens praesenti. Ita enim fere Tu: „Hoc age; sume Tibi Plotinum et expedi nobis.“ Tum ego: „Ain' vero? Quodsi Tu mihi animos facis, laxabo frenos veteri cuidam desiderio meo, quod usque huc compressi ac continui.“ Cumque postea et publice me admonuisses et amicissime eadem repetiisses privatim, obsequendum duxi et voluntati meae et Tuae auctoritati.

Neque me avertere sum passus vocibus istiusmodi hominum, qui hanc philosophiam aut horridam incultamque dicunt aut elinguem. Quibus ego ita fere: Ego elinguem malo quam stulte clamosam, malo horridam quam effeminatam delibutamque unguentis et calamistratam. Neque vero Plotini philosophia arida est aut balbutiens, est brevis et densa ac vivo spirantique orationis genere expressa. Non Tibi haec narro, Wyttenbachi, qui a Longino usque ad extremos quantopere suspexerint Graeci Romanique illum Lycopoliten omnium optime teneas, inque ipsius lectione probe versatus sis. Non dico, ne quis calumnietur, germanam esse vetustae illius philosophiae Atticae ornatae ingenuarum artium quasi Venerum Gratiarumque multo splendidoque comitatu. Virilem esse dico et dignam homine, argumentum sectanti, in quo ingenium ad altitudinem extollat. Ac nonnumquam cogitatione me recipio nunc in palmeta Aegypti, ubi videre mihi videor Ammonio auscultantem Plotinum juvenem, nunc in medium strepitum Urbis, ubi jam senescens scholam dictat assidenti Porphyrio eumque a rerum fluxarum turbine erranteque opinione ad rerum divinarum perpetuitatem et ad stabilitatem conscientiae advertit. Nam cur tandem quaeso philosophamur,

Wyttenbachi, nisi ut fructus inde redundet ad animum, ad mores omnemque actionem vitae?

At, dicat quispiam: „haec Plato mihi praestabit melius et eruditius. Nam nil nisi Platonicus est Plotinus.“ Audio. Platonicus fuit Plotinus. Nec tamen propterea is est, qui magistri nonnisi dictata decantet, neque ab ejus commentariis discedere audeat. Equidem aliquando ad Enneadas, si Deus annuerit, sigillatim sejungam Plotiniana decreta a Platonicis. Nunc hoc unum a Te ipso sumam. Videlicet Tu Plotinum optime vidisti animorum immortalitatis rationes latius et subtilius esse persecutum quam Platonem. Qua in re plane Tecum facit Tennemannus meus in Historia philosophiae*).

Et nihilne juvabimur a Plotino quod is Platonis argumenta pleraque lucidiora facit contrahendo? Nimirum quae ab illo quaestiones saepiuscule circumaguntur per orbem plurium dialogorum, aut certe unius, eas Plotinus fere revocat ex istis sermonum diverticulis meatuque et anfractibus, ac dispositas ordine unique brevique ut plurimum libro inclusas collocat ante oculos lectoris, ut is quid primum, medium, infimum sit facilius assequatur. Atque ut illa ratio cultior sit et venustior, sic hanc certiorem esse nemo infitiabitur. Plura omitto, quae Plotinum commendant cordatioribus. Illud attigisse sufficiat, ne in notioribus Te remorari videar, Platonis et emendationem et interpretationem multis partibus posse promoveri assidua tractatione cum Plotini tum Plotinianorum philosophorum ad Proclum usque et posteriores.

„At obscurus est Plotinus,“ inquit, „est abstrusus.“ Cui ego: Recte mones: quasi vero de rebus repetitis ex intima philosophia et ab ipsa natura involutis pariter possit vulgari sermone exponi, ac de communibus pervagatisque et ante oculos positis. Atque explicando fit lucidior. Neque aeque est obscurus atque Platonis vel Timaeus vel Parmenides. Quae tamen scripta expeditiora redduntur, si

---

*) Tom. VI. p. 182. Cf. Wyttenbach. ad Platon. Phaedon. p. 197.

hoc agas ut abditos philosophi sensus eruere studeas. Contra, si difficultas non acuat intelligendi studium, sed hebetet, numquam recludentur, quae occlusa esse et operta dictitantur.

Quare accipe, Wyttenbachi, quid ego in hoc uno Plotini libro interpretando sim secutus. Nimirum haec annotatio nata mihi est ex ipsis meis scholis. In quibus hoc necessarium judico, ut liquido monstretur parum esse, si, quae sublimia et grandia loquatur aut Plato aut Plotinus, suspiciamus et admiremur et divinitus cogitata esse dicamus; sed requiri aliquam interpretationem, quae simpliciter ac dilucide sententiam eorum quae legimus, grammatica ratione singula verba minutatim persequens, nobis patefaciat. Itaque soleo fere in aliis quoque lectionibus facere plus minusve, pro scriptoris cujusvis, quem tractamus, ratione orationeque. Atque hoc etiam nomine laudo mihi meum Kayserum, qui similiter retinet discipulos in singularum tractatione vocum sententiarumque, quo subigantur ingenia tenera. Alii clamitant: „cursorie (hoc enim usurpant) esse agendum.“ Scilicet cursim nos agere jubent ut canes lambitantes Nilum. Nos in humanitatis disciplinis humanam rationem sectamur, non caninam. Et quid aliud est corrumpere ludos, quam praeceptoribus defunctoriam disciplinam inculcare velle?

Neque vero doctioribus non inservire studui hac annotatione in librum Plotini. Nam cum, ubi ad operum omnium editionem venero, in critico me munere continere potissimum debeam, ita, ut quidquid interpretationis est, rejiciatur in Lexicon Plotinianum: nunc quidem in hoc uno libello specimen prodere volo, quo constet, quam arcto vinculo contineatur ejus philosophi explicatio non modo cum ipsa lectione Platonis et Aristotelis, sed reliquorum etiam philosophorum omnium. Etiam hoc volui intelligi, quantum invicem sese adjuvent Plotinus et Novi Testamenti scriptores, Paulus praecipue, itemque Ecclesiae Patres christianae. Qua in re utrum modum tenuerim usquequaque, an justo fuerim profusior, Tu omnium optime judicabis, Wyttenbachi.

Malo autem in annotatione ubertatem, quae succum alat, quam exilitatem aridam jejunitatemque. Et licet dialectica ratio magna pars sit cujusvis interpretationis, praesertim ubi in philosopho verseris; neque tamen negligi volo explicationem rerum, id est, notionum, et placitorum. Hunc fere, quem adumbravi, interpretandi modum sunt qui hodieque Batavum dicant. Ego quid Batavum, quid Germanicum Gallicumque sit explicandi genus, me fateor ignorare: hoc scio illud fructuosum esse et placuisse e Gallico populo Salmasiis, Casaubonis, Valesiis, e Britannico Bentlejis, Davisiis, e Batavo Gronoviis, Hemsterhusiis, Valckenariis, Ruhnkeniis, e nostratibus Barthiis, Spanhemiis, aliis, quos longe sequor quorumque vestigia semper adoro. Qui haud pauci hodieque universum explicandi negotium ad grammaticam rationem revocant, ii parum mihi tenere videntur quod Plutarchus Tuus eleganti similitudine exprimit: „Qui Platonis aut Xenophontis libros propter dictionem, nullaque alia de caussa legunt, nisi ut Atticam illam munditiem inde veluti rorem despument, quid aliud diceres illos facere, quam fragrantèm et floridum medicamenti colorem amplecti, vim vero expurgandi corporis aut sedandi doloris neque nosse, neque admittere.“*)

Sed, objiciat aliquis, me eundem in Proclo nimis brevem fuisse. Tibi ego meam sententiam probavero, si respondero item breviter: noluisse me commentarium commentario onerare. Neque magis placuit operose agere in Nathanaëlis libello. Ad ejus sententiam qui plura velit, ei insignem opem praestabunt quae Tu in annotatione ad Phaedonem super immortalitate animarum ex scriptorum veterum plurimorum libris enotata apteque disposita copiosissime exhibuisti. Itaque qui in Plutarcho studiorum Tuorum domicilium locasse videbare, re ipsa monstrasti non

---

*) *Quomodo quis suos in virtute prof. sent.* pag. 304. ed. Wytt. *Τοὺς μὲν γὰρ Πλάτωνι καὶ Ξενοφῶντι χρωμένους διὰ τὴν λέξιν, ἕτερον δὲ μηδὲν ἀλλ᾽ ἢ τὸ καθαρόν τε καὶ Ἀττικόν, ὥσπερ δρόσον καὶ χνοῦν, ἀποδρεπομένους, τί ἂν ἄλλο φαίης ἢ φαρμάκων τὸ εὐῶδες καὶ τὸ ἀνθηρὸν ἀγαπᾶν, τὸ δὲ ἀνώδυνον καὶ καθαρτικὸν μὴ προσίεσθαι μηδὲ γινώσκειν;*

minus Te Platoni esse familiarem et. Platonicis philosophis reliquis. Atque ut universa ratio, quam in Plutarcho Te secutum aperuisti in Praefatione, exemplo mihi est, ad quod mea in philosophorum veterum libris studia dirigam et exigam: ita ad criticam factitandam hinc mihi desumsi et teneo illud: „Diu est, quod illam ingenii laudem consectari desii: si sponte sequitur, accipio: sin minus, non curo.“*) Plotiniani textus nosti quae conditio sit. Neque in ullum magis cadit illud „habent et sua fata libelli,“ nimirum eodem sunt quo arva fato. Si negligantur, sentes alunt et monstra, quibus evellendis, domandis vix unus Hercules sufficiat, nedum homo unus e multis qualis ego sum. Hic quidem liber Plotini Tibi medelae multum debet, ut in affecto corpore hac quoque similitudine utar. Ego ubi salutem praestare non potui, vulnera indicasse satis habui. Neque vero dubito, quin plura refingere feliciter possim, ubi me ad omnium Enneadum emendationem dedero. Atque hoc loco non possum non mentionem facere cujusdam philosophi, qui sexennio fere abhinc universum Plotinum, quem ipse vixdum bene per transennam adspexerat, nempe per interpretationem latinam Ficini, volebat vernaculum facere, scilicet stans pede in uno, idque mihi significabat per literas. Quem ego avertisse visus sum mihi cum ei senticeta monstrarem, quibus horreret longinquum iter per quinquaginta quatuor librorum quasi stationes. Quocirca nec doleo non ad manum in hoc mihi libro fuisse translationem Anglicam Taylori, cujus titulum posui in Praeparatione**). Nam quas ejusdem viri aliorum librorum Plotinianorum translationes mihi inspicere licuit, eae nihil habent nec emendationis sive conjectariae sive e codicibus depromtae, neque quidquam explicationis eruditae. Cur autem hunc, si quaeris, ex reliquis omnibus librum selegerim, rationem aperui in Praeparatione. Videlicet adolescentibus volebam munire aditum ad Plotini ac similium philosophorum scripta. Nathanaëlis vero libellus iisdem

*) Pag. XXXII.
**) Pag. CXXXVII seq.

hoc pacto inserviet, ut, quod in philosophia summum est, mature adsuescant bifariam disquirere, neque ante teneri se patiantur adstrictos, quam quid optimum sit, judicare possint. —

Quod Plotino Proclum comitem addidi: vellem utique, tertium adjungere potuissem socium, *Plutarchum de pulcro ipso* disputantem. Verum hujus libri umquam reperiendi spem praecisam in perpetuum esse, in illa praefatione nos Tu ipse docuisti. Itaque adjunxi Nathanaëlem hominem Christianum, qui etiam postea est natus, quam funestum illud incendium cum Constantinopolis magna parte priscorum scriptorum adhuc servata monumenta absumsit. Sed et demto Plutarcho Tibi probabitur uterque de pulcritudine libellus, probabitur certe suo argumento, siquidem vera loquitur Graecum proverbium: ὅ, τι καλόν, φίλον ἀεί, itemque illud alterum: δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. Mihi quidem, quae Tua humanitas est, ubicunque in materia difficili lapsus fuero, Tu ipse patrocinabere hoc tertio adagio Graecorum: χαλεπὰ τὰ καλά. — Itaque vale, Wyttenbachi, meisque conatibus, uti nunc facis, etiam posthac fave.

Scribebam Heidelbergae d. XI. Kalendas Augustas MDCCCXIV.

7) EPISTOLAE HEUSDII AD CREUZERUM PARS PRIOR.

Viro amicissimo Fr. Creuzero s. p. d. Ph. G. Van Heusde.

Annus est propemodum, quum epistolam ad Te scribebam, quam una cum Platonicorum meorum parte priore typis expressa brevi ad Te eram transmissurus: necdum tamen edita est illa; nec ante mediam aestatem edetur. Cujus me morae vehementer et taedet et pudet, Tui inprimis, Vir optime, causa, quippe qui opusculi mei desiderio maxime teneri fassus es. Sed paucis accipe morae illius causam: Hac hieme, nescio quo pacto, forte ipsius Platonis instinctu, ad conscribendum adductus sum Francisci Hemsterhusii Elogium. Hujus philosophi ab ineunte adolescentia miro quodam studio et amore captus sum, ut ejus scripta una cum Platonicis semper summa

cum voluptate et assiduitate legerem. Inter Germanos fuit Neebius qui ei monumentum poneret: inter Belgas adhuc nemo. Itaque, hortantibus amicis, manum operi admovi, et Belgico sermone (nam Latinus philosophiae recentiori minus est accommodatus) quae ejus fuerint in philosophiam merita, insigni animi delectatione, ex ejus scriptis probare studui. Sic accidit, ut intermitterem studium Platonis, certe edendi libelli Platonici. Quodsi, vir humanissime, nonnihil mihi de hoc Socrate Batavo communicare velis, feceris mihi gratissimum. Quae prodiderunt de eo Goethius, Garvius, Jacobius et nuper Niemeyerus sedulo collegi: sed forte alia exstant; exstant forte epistolae ejus ad Jacobium (praeter editam), ad Goethium datae vel ad alios. Vel minimae literulae instar mihi erunt maximarum et gravissimarum.

Vale, amicorum dilectissime, uxorem Tuam et meo et uxoris meae nomine etiam atque etiam saluta. Scr. Traj. ad Rh. d. 20. m. Apr. a. 1826.

8) CREUZERI EPISTOLA AD HEUSDIUM.

Viro amicissimo Ph. Guil. van Heusde S. D. P. Fr. Creuzer.

Novissimas Tuas accepi demum redux ex Gallia. Doleo autem absente me hic fuisse Mollium illum Vestrum; cui viro perlubenter eram satisfacturus iis officiis, quae nemini magis a me praestanda sunt quam iis, qui a Te, Vir humanissime, commendati huc adveniant. Gravius tamen dolui me non potuisse Batavum iter adjungere Gallico. Primum enim mihi properandum erat Lutetiam, ut bibliothecas museaque aperta reperirem et Hasium inprimis aliosque doctos homines in urbe adhuc agentes, qui sub Augusti mensis exitum rus abire aut itinera ingredi consueverunt. Deinde Lovanio illic me haerentem convenerat Bekkerus noster, qui reditum in hanc partem Germaniae propterea urgebat, quo expleret desiderium matris suae, quae propemodum moribunda, extremum amplecti volebat carissimum sibi filium. Huic ego pietati deesse nec poteram nec volebam. Nunc tamen ei feminae melius-

cule est, et Bekkerus meditatur reditum in Belgicam. Spero autem fore, ut alio tempore et in Belgium proficiscar et vero in Bataviam Vestram ac praecipue Trajectum ad Rhenum, Heusdianamque domum adeam. Hoc certe in votis est. Amo Te plurimum de munere Bibliothecae Criticae II. Necdum enim videram hanc partem bonae frugis plenissimam. Ego certe grato semper animo in usum meum convertam, quidquid ea Bibliotheca ad consilia mea pertinens et habet et habebit. Initia autem illa Tua Platonica*) quando tandem videbo tractaboque in manibus? En importunum flagitatorem! Sed nosti quantum tribuam cum auctoritati Tuae, ut doctoris, tum voluntati, ut amici, quantumque aveam et doctrinae Tuae fructum percipere et vero amicitiae testimonio impertiri. A me habebis, non tam *ἀντιδώρου* loco, quam tesserae studii in Te mei, oratiunculam istam meam de laudibus Athenarum secundis curis refictam, quae nunc demum prodiit, et sub anni hujus finem, uti quidem spero, Ciceronis libros de Divinatione et de Fato a Mosero nostro editos. Quae opuscula, quae Tua humanitas est, boni consules. Itaque vale, mi Heusdi, meque amato.

Heidelberga d. 27. Septembr. 1826.

9) EXCERPTUM EPISTOLAE BOETTIGERANAE AD CREUZERUM.

Creuzero suo,

Cum nil sit in loculis meis, quod expromam, solvam ex aliena arca. Misi Hermanni recentissimam prolusionem**), cujus aliquot ad me pervenerunt exemplaria.

---

*) Nunc vide: Initia Philosophiae Platonicae. Scripsit Phil. Guil. van Heusde. Editio Altera Emendata. Lugduni-Batavorum 1842. Hanc autem edidit post patris mortem filius J. A. C. van Heusde cum nova Praefatione pag. V—XII, itemque cum repetita Epistola Parentis ad Fridericum Creuzerum p. 1—23.

**) Godofredi Hermanni de veterum Graecorum Pictura Parietum Conjecturae. Lipsiae 1834; quam Prolusionem Vir praestantissimus postea Suorum Opusculorum Volumini V. inseruit, Lips. 1834. Plinii autem verba quae a Boettigero attinguntur exstant in Prolusione p. 18., in Opusculis p. 226., et leguntur apud Plinium

Monstrare conatus est Hermannus, de quibus nemo dubitavit Plinii locus, qui me fugerat cum disputarem de pictura in parietibus, me non valde movet. Sermo enim est de pictura e pariete exsecta. Hoc mirum visum est populo. De praestantia picturae ne γρὺ quidem. Sed quid Tu — de hac Prolusione statuas scire cupio*). Opus Tuum de gemmis caelatis, quibus incrustatum fuit sepulcrum Elisabethae, Leskius Tuus, cum haec scribebam, nondum tradiderat. Vale faveque Tuo

Scripsi in discursationibus nundinarum vernarum a. 1834. Lipsiae in museo C. D. Beckii mei.

Boettigero.

H. N. XXXV. 49.; quae antea tractaverat praeter alia multa Radulphus Rochettus in Journal des Savants 1833., et nuper admodum denuo tractavit Th. Panofka V. Cl. Zur Erklärung des Plinius. Berlin 1853; qui tamen ignoravit, Plinii locum XXXV. 3. 6. [p. 207. ed. Sillig.] jam ab Hermanno esse explicatum (vid. Prolus. p. 15., Opusc. p. 221 sq. et cf. Panofkam l. l. p. 10.).

*) Boettigerus uti his in Literulis de Godofr. Hermanni Prolusione iniquius judicat, ita ut plurimum erat in aliis laudandis nimius. Sed de hoc viro, de Literis archaeologicis meritissimo, plura disputavi in den Deutschen Schriften zur Archaeologie Vol. I. p. 434 sqq.

10) INSCRIPTIO LAPIDARIA IN LAUDEM TYPOGRAPHIAE *).

NOTIONES
CUM INSITAS IN ANIMIS HOMINUM
TUM SENSIBUS PERCEPTAS
ANIMANTIUM FIGURIS ADUMBRAVIT
HERMES AEGYPTIUS.
HUMANI SERMONIS MULTIPLICES VOCALESQUE SONOS
PAUCIS LITERARUM ELEMENTIS ADSTRINXIT
CADMUS PHOENIX;
CULTIORI LOQUELAE ACCOMMODARUNT
PALAMEDES SIMONIDESQUE GRAECI;
SAXO, AERE, MEMBRANA, PAPYRO ALIAQUE MATERIA
INCLUSERUNT
BARBARI, HELLENES, ROMANI.
SOLIDO PRIMUM LIGNO DEIN SEQUACI STANNO
CAELAVIT SOLUBILES TYPOS
LINTEAQUE IN PAGINA PERENNI CHARACTERE
CONSIGNAVIT:
DEI ORACULA
NATURAE MYSTERIA
MEMORIAM RERUM
DECRETA PRINCIPUM
PHILOSOPHORUM PLACITA
PRUDENTUM RESPONSA
CONSILIA MEDICORUM
MORTALIUM OMNIUM
SENSA, VOTA, DESIDERIA
JOHANNES GUTENBERG
GERMANUS.
GRATATUR GERMANIA EUROPA TERRARUM ORBIS.
MONIMENTUM CONSECRAT
CIVI IMMORTALI
MOGUNTIA
ANNO MDCCCXXXVI.

---

*) Ad J. C. B. Mohrium, bibliopolam, virum mihi amicissimum, quem postea ob insignia in rem nostram literariam merita Doctoris laurea decoravit Ordo Philosophorum Heidelbergensium.

11) VOTA ACADEMICA IN DECIMO MUNERIS LUSTRO GATTERERI *).

QUOD FELIX FAUSTUMQUE SIT.

CHRISTIANO GUILELMO JACOBO GATTERER

PHILOSOPHIAE DOCTORI, AUGUSTISSIMO MAGNO DUCI BADARUM A CONSILIIS REI SALTUARIAE SUPREMIS, OECONOMICAE REDITUUMQUE PUBLICORUM DISCIPLINAE PROFESSORI P. O., SOCIETATUM LITERARIARUM COMPLURIUM SODALI, VIRO CUM MAGISTRI TUM SCRIPTORIS GLORIA CELEBRATISSIMO, MERITISSIMO, HORTORUM PALATINORUM ARCI PRINCIPIS CONTIGUORUM TOPIARIO

ASSIDUO INTELLIGENTI POLITO,

CUI ACCEPTUM REFERUNT PROFESSORES, CIVES,

QUOD, UBI ANTEHAC OMNIA INCOMTE SILVESCEBANT SARMENTIS

ET PER DUMETA ERAT CORREPENDUM,

IBI NUNC EXPEDITE POSSUNT JUCUNDISSIMOQUE MEATU

VEL PER ODORATOS VARIEQUE DISTINCTOS

XYSTOS DEAMBULARE

VEL VIRIDARIORUM ADSPECTU OCULOS PASCERE

VEL IN EXHEDRIS SEDENTES SUB UMBRACULO ARBORUM

LONGE LATEQUE PROSPECTARE

AMOENOS FERTILESQUE CAMPOS QUOS CERTATIM ALLUUNT

RHENUS ET NICER

INDE A VOGESO MONTE USQUE AD TONITRUALEM **)

ADEOQUE VIRES STUDIORUM LABORIBUS FESSAS

HONESTE SUAVITERQUE REFICERE;

COLLEGAE CONJUNCTISSIMO

DECIMUM MUNERIS PUBLICI LUSTRUM,

STRENUE FAUSTEQUE PERACTUM,

SOLEMNITER CONGRATULATUR

ACADEMIA RUPERTO-CAROLA.

HEIDELBERGAE D. XXX. M. APRILIS

A. MDCCCXXXVII.

---

*) Filii Johannis Christophori Gattereri in Academia Gottingensi Historiarum Professoris V. C.

**) Ubi paucos post annos conspici poterant:
Vaporiferi aestuantes lembi et fumiferae sororio anhelantes zelo
Ferreaque orbita volucripedes rhedae.

12) VOTA PUBLICA
NUPTIAS AUSPICATISSIMAS
CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI
ERNESTI
AUGUSTI CAROLI JOANNIS LEOPOLDI ALEXANDRI EDUARDI, PRINCIPIS SAXONIAE,
DUCATUS COBURGO-GOTHANI HEREDIS,
AUGUSTISSIMO REGI SAXONIAE MAGISTRI EQUITUM, ORDINIS SAXONUM ERNESTINI DOMESTICI, BADENSIS ZAHRINGICI, PORTUGALLICI CHRISTO CONSECRATI MAGNI CRUCIFERI,
CUM
SERENISSIMA PRINCIPE AC DOMINA DOMINA
ALEXANDRINA
LUDOVICA AMALIA FRIDERICA ELISABETHA SOPHIA
EX AUGUSTISSIMA DOMO MAGNORUM BADAE DUCUM
ADEOQUE CONJUGALES TAEDAS FELICIS INSTAR SIDERIS UTRAMQUE GENTEM AUGUSTAM ILLUMINANTES AC POPULIS PARITER ATQUE PRINCIPIBUS SALUTIFERAS LAETE PIEQUE CELEBRAT
ACADEMIA RUPERTO-CAROLA
HEIDELBERGENSIS
QUINTO NONAS MAJAS
MDCCCXLII.

13) VIRO ILLUSTRI ET VENERABILI
FRIDERICO CAROLO DE SAVIGNY
AUGUSTISSIMO REGI BORUSSIAE
A CONSILIIS INTIMIS
JURIUM NUPER ANTECESSORI
S. P. D.
ACADEMIAE RUPERTO-CAROLAE
CUM DECANO
UNIVERSUS ORDO JURECONSULTORUM.

Hodiernus dies quo Tu, Vir Illustrissime, sub initium hujus saeculi Doctoris lauream adeptus es, triplicem nobis laetandi gratandique ansam exhibet. Nam, ut a novissimis rebus ordiamur, Tu in summo Borussiae consilio constitutus Regis amicus non solum huic Principi verum etiam universo Regno plures per annos sapienter aeque ac salu-

briter profuisti. Antea vero, ut a *Consiliario* ad *Professorem* transeamus, in universitatibus literariis Marburgensi, Landishutana, Berolinensi denique juvenis, vir, senex pari alacritate ac facundia millenis discipulis e cathedra sanae Juris Civilis doctrinae viam rationemque commonstraveras, adeo ut merito communis Germaniae Doctor posses appellari, et ubicunque locorum per universam patriam Themidi litatur, Savignianum nomen uno ore concelebraretur. At vero, si a *Magistro* discedimus et ad *Scriptorem* conversi ingenii Tui fecunditatem amplitudinemque doctrinae expendimus, ea non Germaniae solum finibus se includere passa, sed latius evagata universae etiam Europae terminos complexa est. Nam posteaquam in historico illo opere Juris Romani primordia incrementaque per singulas medii aevi vicissitudines multiplicis scientiae copia illuminaras; altero illo διδακτικῷ ipsius doctrinae causas universamque rationem in clarissima luce collocasti atque in communem civium forensemque usum commendasti. Neque denique omittenda sunt Opuscula illa, quinque tomis nuper a Te collecta, quibus vel Academiae Regiae Borussicae Acta vel Corpus Commentationum auxeras et exornaras.

Quae quidem studia cum inde ab ineunte saeculo usque ad medium pari ardore persecutus sis, Vir Celeberrime: nae Tu hodie, si quis alius, potes rebus egregie actis laetari tamquam honestissimorum stipendiorum Veteranus; nos vero Tibi civibusque nostris possumus acclamare: Vixit Ille, quod apud Antoninum est, usque ad Plaudite, et quoad in vivis erit, bonorum Ille omnium plausum feret, donec dimissus ab Eo, qui et committendi et dissolvendi certaminis arbiter est, illibata palma, et perennibus praemiis condecorabitur.

Quod reliquum est, speramus haec Vota Tibi grata acceptaque fore, quoniam non solum a cultoribus Tuis verum etiam ea in Academia concipiuntur, in qua antehac Donelli atque Gotofredi Jurisprudentiam docuerunt, quos Tu viros non minus suspicis atque nosmet ipsi illos suspicimus.

Itaque vale et studiis nostris fave.

Heidelberga Pridie Kalendas Novembres a. MDCCCL.

14) PIA VOTA ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS SUB ADVENTUM RECTORIS MAGNI DUCIS BADARUM LEOPOLDI FILIIQUE PRINCIPIS M. OCTOBR. A. MDCCCLI.

AUGUSTISSIMO PRINCIPI
MAGNO DUCI
QUI REM PUBLICAM
PERFIDORUM CONSILIIS
MISERE CONTURBATAM
SUIS CONSILIIS
MIRIFICE REDORNAVIT
EXULCERATAM PERSANAVIT
ACADEMIAE FIDES
SEMPER INTEMERATA
HODIE EXHILARATA
SERENISSIMI RECTORIS
FILIIQUE PRINCIPIS *)
LAETISSIMO ADVENTU
PATRI PATRIAE
NUNC SEXAGENARIO
VIRIDEM SENECTAM
AD EXTREMUM USQUE
VITAE TERMINUM
PIE ADPRECATUR.

*) *Friderici*, nunc Principis-Regentis Badarum.

15) VIRO CELEBERRIMO ET EXPERIENTISSIMO, COLLEGAE CONJUNCTISSIMO

MAXIMILIANO CHELIO,

CHIRURGIAE AC MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI P. O.,

ARCHIATRO,

PLURIUM ACADEMIARUM SOCIO, ORDINUM INSIGNIORUM EQUITI PRIMARIO

S. P. D.

FRIDERICUS CREUZER.

Quod nuper me senem octogenarium per Inscriptionum Graecarum Romanarumque Corpora Titulos Sepulcrales lustrantem vel maxime adverterat, cum vidissem, novitios homines ut plurimum veteribus illis vivaciores esse, mecumque reputarem, quantum hac in causa nostratibus Medicis debeatur: illud hodie memoriam meam penitus redintegrat, quo die Tu, Vir amicissime, muneris Tui octavum lustrum nobiscum hilare concelebras. — Et vero, Vir meritissime, TU habes, quod hodierno die ex animo gaudeas. Nam posteaquam plures per annos domi militiaeque artem salutarem naviter inchoaveras, hic, in nostra Academia continuo in cathedram evectus et nosocomiis nostris praefectus, Tu Te in Chirurgia et in Medicina cum docendo tum factitando insigniter exercuisti, Scriptis bonae frugis plenissimis eas disciplinas illustravisti, auxisti, millenis civibus exterisque intelligens, dexter, felix consilio operaque adfuisti, Academiae denique nostrae nominis Tui laude per universam Europam cumulum addidisti.

Quocirca nos cives collegaeque Tui pia vota hodie facimus, ut Deus Optimus Maximus multos per annos salvum TE sospitemque praestare velit, quo res nostras usque et usque adjuvare et exornare possis.

Itaque vale mihique fave.

Heidelberga die XIX. m. Mart. a. MDCCCLII.

---

16) FRIDERICO TIEDEMANN

VIRO ILLUSTRI
DISCIPULO DISCIPULUS
FRIDERICUS CREUZER.

Quo die Tibi exacta feliciter Doctoris honorum decem lustra certatim congratulantur collegae, cives, exteri, eo die mihi liceat singulari Te formula appellare, quam alii mirabuntur: nos non item. Ego enim libenter soleo redire in memoriam ejus temporis, quo Marburgi Chattorum parentem Tuum, virum immortalem, luculenter explicantem audiebam cum divini Platonis dialogos tum veteris recentiorisque Philosophiae varias doctrinas. Neque vero minus idem ego ex animo gaudebam, cum eadem in Academia haud ita multo post Te meis in subselliis adsidere viderem, impigre stilum vertere Latinisque literis naviter operam navare.

Paucis vero annis post, cum ego patri Tuo, immatura morte nobis erepto, publice parentare jussus ejus Memoriam scriberem, contigit mihi illud, ut in recensenda ejusdem subole post honestam mentionem matris Te, natu maximum, his verbis laudare possem — „Ex ea tulit sex liberos: *Fridericum*, natum d. 23. m. Augusti a. 1781., qui cum laude medicae artis studium sectatus eandem factitare cogitat.“

Quae cum scriberem, *bona* quidem omnia augurabar Tibi: *summa* Te omnia assecuturum mente praecipere non poteram.

Quo magis, postquam praeclara omnia in Te effecta commonstravit eventus, hodieque laetor, et seni Tibi senex gratulabundus adclamo. Heidelberga Francofurtum ad M., die 10. m. Martii a. 1854. ipsis natalibus meis; quo die quartum annum ingredior et octogesimum, cujus numeri cumulum Tibi ut Deus O. M. fortunare velit ex animo precor.

INDEX.

PARS PRIMA,

continens

COMMENTATIONES.

PARS ALTERA,

continens

MEMORIAS TRIUM PROFESSORUM M. C. Curtii, D. Tiedemanni et E. Godofr. Baldingeri.

PARS TERTIA,

continens

Epistolas et publicas et privatas epistolarumque Excerpta, denique Scripta honoraria varii generis.

LIPSIAE,
TYPIS B. G. TEUBNERI.

CORRIGENDUM.

Pag. 220. lin. 5 leg. *meque* pro *neque*.

